

Hannoldus lo. cit. opinionem Curteli, & Gambacurt. probabilem appellat. Nam contra est, quod licet ex dicta Lege probetur, offendentes talem, esse Reos lese Majestatis, non tamen probatur, eos exinde esse, privatos Aſylo, cum non omnes lese Majestatis Rei sint privati hoc jure, sed tantum Rei in personam ipsiusmet Principis, uti jam dictum. Nec quidquam in contrarium probat ratio adducta, quod dicti Ministri sint pars corporis Principis, unumque corpus ac personam cum eo constituere, ac representare censentur; quia hoc tantum verificatur in sensu morali, & non in physico, in quo tamen loquitur & intelligenda venit Bulla Gregoriana, proinde non tantum ex communi sensu DD. & consuetudine Legis optimam interprete c. 8. de Consuetud. patet, sed etiam ex ipsa Bullae dictione ipsiusmet personae Principis aperte liquet; dictio enim ipse, & multo magis ipsiusmet est personalissima, & demonstrativa personae, summeque restrictiva ad personam, & personalitatem, ita ut ad aliam personam referri non possit, ut plurimis aliis citatis docet Barbosa de Diction. Dictione Ipse, ubi ad propositum plures affert Decisiones Rotae.

149. Et certe si in sensu morali sufficeret, quod quis sit, & dicatur pars corporis Principis, unumque cum eo constituere corpus & personam, nemo magis veniret nomine Principis, quam Uxor, & Filii Regum aut Principum, cum teste ipsa Scriptura uxor dicatur una caro cum viro, ibi: Erunt duo in carne una: filius autem reputetur una persona cum patre per vulgaria Juris; & tamen juxta unanimum post Bullam Gregorii XIV. scribentium Uxor, & Filii Principis non veniunt nomine Principis; unde mirandum sane, quod Hannoldus lo. cit. ex illo fundamento, quia Consilarii & Ministri Principis in sensu morali sunt pars corporis Principis, unumque corpus cum eo constituunt, opinionem Gambacurtae probabilem reputet, & tamen cum unanimi aliorum absolute neget, Uxorem & Filios Regum venire nomine Principis; cum tamen in his aequae vel magis idem militet fundamentum, ut ex dictis patet. Nec valet paritas ab eo assumpta de Cardinalibus; quia communis doctrina non tam est, quod offendentes talem, priventur Aſylo, quam quod sint Rei lese Majestatis, quod gratis conceditur, sed negatur, exinde hoc ipso aliquem privari Immunitate, cum non physice, sed moraliter tantum committatur in personam ipsiusmet Papae, quod non sufficit per dicta.

150. Inferitur V. Non committi crimen lese Majestatis exceptum privans Aſylo, si peccatur in statum aut effugiem Principis supremi: vel in statum aut provinciam Principis excitando v. g. rebellionem; dummodo non fiat machinatio contra personam ipsiusmet Principis supremi. Diana p. 6. Resolut. 18. citans unanimum post Bullam Gregorianam scribentium in specie Peregrinum, & Sylvium ubi supra, idem docet Farinacius in Append. de Immunit. cap. 14. nu. 190. Bonacina lo. cit. n. 5. & communis aliorum.

151. Sed quaesit incidenter, an crimen lese Majestatis in personam ipsiusmet Principis committat excelsium non tantum subditi ipsius, sed etiam exteri? Resp. Negative quoad exteros, qui ratione originis, aut domicilii subditi non sunt. Farinacius cit. cap. 14. n. 151. Hannoldus ubi supra n. 232. Ambrosia. de Immunit. cap. 6. n. 12. Bonacina cit. Tom. 2. Disp. 3. q. 7. puno. 7. §. 6. n. 12. & communis aliorum; arg. Clem. Pastoralis. §. Rursus non est, de Sentent. & re judic. ubi Pontifex declarat, etiam ex illo capite a Roberto Rege Siciliae commissum non fuisse crimen lese Majestatis in Henricum Imperatorem, quod ei nec ratione originis, nec domicilii

fuerit subjectus. Nec obstat, quod extraneus machinator contra personam Principis fiat ei subditi ratione delicti, vi cuius quibus sortitur Forum, Auth. Si qua in provinciis. C. Ubi de Crimine. agi oportet, & c. fin. de Foro competenti. Resp. enim talem per delictum fieri quidem aliquem subditi, sed antequam non fuisse, prout tamen requiritur ad crimen lese Majestatis: unde licet talis puniri possit, ubi deliquit, non tamen privatur Aſylo.

Quaeritur IV. Utrum etiam propter alia crimina in Bulla Gregorii XIV. non expressa, eis tamen aequalia, vel iisdem majora, enormia, & atrocissima quis privetur Jure Aſyli? Resp. Negative Farinacius in Append. de Immunit. cap. 22. num. 353. & 355. Gutierrez Pract. 99. Civil. lib. 3. q. 4. n. 12. & segg. Fagnanus in c. Inter alia. h. t. n. 36. Castro Palao Tr. 11. Disp. un. pun. 10. n. 4. Diana p. 1. t. 1. Resolut. 2. Hannoldus Tom. 6. tr. 1. n. 235. & communissima, ac ferme unanimis aliorum post dictam Bullam scribentium. Idque probatur I. ex receptissima illa Regula, Exceptio unius firmat Regulam in contrarium, l. Quaesitum. 12. §. Idem respondit. 43. ff. de Fund. instrum. l. Cum Praetor. 12. prin. ff. de Judic. & l. 4. §. fin. ff. de Pen. legat. II. Probatur ex alia Regula pariter universalis, & communiter recepta; quod Lex poenalis ob identitatem, vel etiam majoris rationis non sit extendenda, arg. c. Odia. & c. In panis. de R. J. in 6. & l. Factum cuique. §. In poenalis. ff. de R. J. quia poenae casum proprium non excedunt, can. Poenae. dist. 1. de Poenis. III. Probatur ex ipsi Bullae verbis, quibus dicitur, quod Papa in materia Immunitatis, cuncta ad unam tantum formam reducere intendat, non attempta paritate, identitate, aut majoritate rationis. IV. Probatur per oppositum Decretum irritans, & clausulam sublatam alteri judicandi facultate. Confirmatur ex Conclusionem num. 88. positam; & textu ibidem ex c. Iniet alia. 6. h. t. allegato.

Inferitur, quod quamvis olim plura crimina de Jure Civili caruerint Aſylo, hodie tamen eodem gaudeant; sed quod in materia Immunitatis non ad Civilem, sed Ecclesiasticam dispositionem attendendum sit, juxta unanimum, & dicenda infra.


Notandum tamen cum Farinacio in Append. de Immunit. cap. 14. n. 185. quod si in casu atrocis, vel atrocissimi criminis, v. g. ob occisionem Cardinalis lese Majestatis in statum, aut Provinciam, parricidium &c. fugiat quis ad loca sacra, possit Episcopus eum bene custodiam tenere, donec per illum, vel Potestatem saecularem Papa informetur, & ab eo extrahendi potestas petatur; potest enim, & etiam subinde solet Papa ob enormia Crimina etiam non excepta extrahendi licentiam dare ad terrorem & exemplum aliorum.

Quaeritur V. An etiam Aſylo gaudeant Rei detentus in carceribus. ut manibus satellitum fugientes, dum docentur ad carceres, vel inde ad supplicium? Resp. Affirmative; dummodo non labore Crimine excepto. Farinacius in Append. de Immunit. cap. 15. Ambrosia. de Immunit. cap. 10. n. 11. Navarrus in Manual. cap. 25. nu. 19. Gutierrez Pract. 99. lib. 3. q. 6. n. 6. cum communi. Fundamentum est; quia nulla apparet ratio, nec Juris dispositio, eos Aſylo privans. Accedit, quod favore amplandi sint, & extendi, c. Odia. de R. J. in 6. Confirmatur ex repetitis Declarationibus Cardinalium apud Jacob. Pignatell. Tom. 6. Consult. 4. ubi n. 78. sequentem ponit: Fugiens ad Ecclesiam, dum ducitur ad supplicium, gaudet Immunitate, in una Valsoliana. 19. Martii 1627. & n. 107. Qui elapsus e manibus satellitum, confugit ad Ecclesiam, vel apprehendit parietem, aut seras valvarum gaudet Immunitate; 2. Martii 1604. & 18. Julii 1614. & 20. Decemb. 1616. & n. 91. Con-

Condemnatus ad supplicium mortis, effringens carceres, non autem compedes, gaudet Immunitate, in Romana. 11. Februarii. 1648. Ex qua ultima habes, etiam cum compedibus fugientes ad loca sacra gaudere Aſylo.

152. Extendit Diana p. 1. tr. 1. Resolut. 13. Conclusionem etiam ad casum, quo Reus una cum satellite per vim intrat in Ecclesiam. Verum huic obstat bina Declaratio Cardinalium apud Jacob. Pignatell. lo. cit. n. 88. ita sonans: Confugiens in Ecclesiam ligatus cum Birruario non gaudet Immunitate, in Florent. 6. Novemb. 1634. Pariter non gaudet Immunitate Reus ex eo, quod per locum ducatur ad supplicium, casu quo alia via e carceribus ad locum supplicii non sit: secus si alia existente via per illum duceretur. Diana lo. cit. Resolut. 30. Peregrinus de Immunit. cap. 5. n. 8. vide de hoc etiam Farinacium lo. cit.

Dices: Juxta novissimam Bullam Benedicti XIII. Ex quo Divina Gra. editam Romae 15. Julii anno 1725. praeter plures alios ibidem adductos excluduntur non solum Homicidae proditori, sed etiam illimitate interficientes proximum suum quicumque, dummodo animo deliberato & praemeditato fiat: ergo plura dicta in his duobus paragraphis non videntur subsistere, utpote quae similibus aſylum concedunt. Respond. disting. consequens, plura in his duobus paragraphis dicta non videntur subsistere insistentibus Bullae Gregorianae, ac illi tempori, quo hic Author scripsit nego. Insistentibus modernae recentissimae Bullae Benedicti XIII. admittit consequentiam. Quoniam vero haec consuetudo pluribus forsitan adhuc ignota existit, eandem annexere consulum duxi.



CONSTITUTIO
SANCTISS. DOMINI NOSTRI
BENEDICTI PAPAE XIII.

QUA SANCTI MEM. GREGORII PAPAE XIV. Litterae Apostolicae, certa excipientes delicta, & Casus, in quibus inquisiti Laici Ecclesiastica Immunitate gaudere non debent, confirmantur, declarantur, & ad alia etiam delicta, & Casus extenduntur, ac ampliuntur: nec non Curiae Ecclesiasticae forma, in eorundem inquisitorum extractione a locis immunitis observanda, praescribitur, cum aliis ordinationibus, & clausulis, ac derogationibus opportunis.

BENEDICTUS
EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

§. I. EX quo, divina disponente Clementia, ad supremum universi Christiani populi regimen assumpti sumus, considerantes debitum, quo obstringebamur, Ecclesiarum, Sacrorumque locorum Immunitatem sanctam, tectam, inviolatamque ubique custodiendi, inter graviores suscepti Apostolici Ministerii curas merito recentiori: diti, multumque rationes, ac media Nobiscum expendere non omisimus, quibus ipsa Immunitas in pristinum Venerationis, & reverentiae locum restitui posset, ac in omnibus orbis Catholici Regionibus ita observaretur, quemadmodum praesca illa Majorum Nostrorum disciplina, & vetus Canoniarum Sanctionum norma praescripsit. Dum haec solis in animo revolvebamus, in oculos primum incurrit celebris illa Constitutio, a Fel. record. GREGORIO PAPA XIV. Praedecessore Nostro edita, quae incipit Cum aliis: qua quidem Constitutione idem GREGORIUS Praedecessor pro Pastoralis Zelo suo hunc ipsum in scopum intendens facultates, & indulget, a quibusdam Romanis Pontificibus ac praesertim a S. PIO V. & Sixto etiam V. Praedecessoribus item Nostri, tunc suis concessa aliquibus Principibus, eorumque Officialibus, & Magistratibus extrahendi, & abducendi ab Ecclesiis, aliisque locis immunitibus, certorum Criminum reos, & delinquentes, reformavit, moderatiusque fuit: simul autem delictorum frequentia, unde publica tranquillitas maxime perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantum licebat, ne aliqua graviora praesca praesentibus hominibus pararentur sub certa impunitatis spe quam ex confugio ad loca immunita sibi parabant, nonnulla expressit, & explicavit crimina, & casus, in quibus laicos delinquentes Ecclesiastica Immunitate nequaquam gaudere voluit, & decrevit; ac insuper Judices constituit, qui in occurrentibus casibus, an delictum esset, nec ne, in eadem Gregoriana Constitutione exceptum, cognoscere, & declarare deberent; certaque demum formam in extractione praedictorum delinquentium a locis immunitibus observandam stabilit, & inviolabiliter ab omnibus perpetuo observari mandavit, quemadmodum in praedicta Constitutione, anno Incarnationis Dominicae 1591. Nono Kal. Junii promulgata, uberius continetur.

§. II. Quoniam vero, post editam hujusmodi Constitutionem, ob varias Doctorum, eam interpretantium, Sententias, & varias item Curiarum Ecclesiasticarum in illius executione proximae multiplices contentiones super veris recte que ejus sensu inter Ecclesiastica, & Saecularia Tribunalia exortae fuerunt; quamplures Romani Pontifices, ac praesertim pie mem. Clemens IX.

Praefatus Pontificis mentem exprimentem
Gregorius
XIV. seu
in lata
sua Consti-
tutione,
circa reos,
ad loca im-
munita con-
suetudo.

Contra-
sententiam
sua dilata-
tione san-
per vera
ipsius Con-
stitutionis.

intelligen-
tia, non
una disci-
tur. fuisse
foliata Ro-
manorum
Pontificum
cura. Ge-
goriana
ista
Constitutio
cum primis
confirma-
tur.

Quidem
Gregoriana
Constitu-
tionis
Causa de-
claratur.

Nova des-
ta recen-
sentur, que
Immuni-
tatis benefi-
cium non
gaudere
deseruntur.

Varia in
iudiciis
etiam rati-
onem pro-
bandi delib-
erant, gau-
dent, nec-
ne, immu-
nitatis, opi-
niones re-
feruntur.

Omnibus
resectis,
nova ser-
vanda ra-
tio statuitur.

Clemens X. & Clemens XI. Prædecessores similiter Nostri, de præfatis contentiõibus dilucida casuum exceptorum explicatione submoventis, non semel, sicut accepimus, deliberarunt, facillorõque insuper eos probandi, & declarandi methodum ut ejusdem Gregorij Prædecessoris mens plenius executioni demandaretur, Curis Ecclesiasticis præscribere cogitabant; sed ab aliis distracti curis, ac interim morte præventis, destinata perficere nequiverunt. Hinc igitur est, quod Nos, omnino expedire arbitramur, ut ejusmodi controversiis finis aliquando imponatur, Eorundemque Prædecessorum pio, atque salubri proposito inherentes, Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostri, deque Apostolica potestate plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione in primis providam memorati GREGORII Prædecessoris Constitutionem cum omnibus, & singulis, in ea contentis, atque dispositis, amplissimè confirmamus, approbamus, & innovamus, & quatenus opus sit, criminum in illa exceptorum reis, & delinquentibus, Immunitatem Ecclesiasticam suffragari nequaquam debere iterum, ac de novo decernimus, & declaramus. Præterea non absque gravi Animi Nostridolore animadvertentes, ob auctam, atque in dies invalescentem perversorum hominum malitiam, sepe, ac sæpius nonnulla gravia crimina perpetrari, quæ non minus, quam illa in Gregoriana Constitutione, ut præfertur, excepta, publicam quietem perturbant, proinde ad delinquentium audeciam, ac ejusmodi delictorum frequentiam, quantum fieri poterit, coercendam, pro Apostolici Muneris Nostri debito, ea, quæ inferius explicabuntur, statuenda censuimus.

§. III. Cum itaque prædicta Gregoriana Constitutione cautum sit, ut publicis latronibus, viarumque grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas vias obsecant, aut viatoris ex insidiis aggrediuntur, Immunitas Ecclesiastica minime suffragetur; non levis autem inter Doctores emerit Controversia, an quis ex unico actu publicus latro, & grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur: Nos, ejusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantum grassationem in via publica, aut vicinali admittam, sufficere ad hoc, ut quis publicus latro, & grassator dici valeat; dummodò tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus, & declaramus.

§. IV. Insuper ab Ecclesiastica Immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, & pro exclusis, atque repulsis haberi volumus, nedum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Ecclesiis, earumve Cœmeteriis committere audent, quemadmodum in Gregoriana Constitutione sancitum est; verum etiam eos, qui stantes in Ecclesia, vel Cœmeterio interficiunt stantes extra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut ipsi membrum mutilant: nec non eos, qui stantes extra Ecclesiam, aut Cœmeterium, occidunt stantes intra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut iis membrum mutilant: ac eos tandem, qui confugiuntibus viam inferunt, atque ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt: Declaramus in quatuor præmissis casibus ejusmodi Reos, non illius tantum Ecclesiæ, quam violantur, sed cuiuscunque etiam alterius Ecclesiæ Immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere.

§. V. Ad hæc in crimine Assassini non modò mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana Constitutione aperte excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum præmium, aut mercedem, sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promisso nullum habuerint effectum, dummodò Assassinium re ipsa patratum fuerit, ab Ecclesiastica Immunitatis Beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuo haberi volumus, & mandamus.

§. VI. Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejusdem Immunitatis Privilegio inefficientes proximum suum animò præmeditato, ac deliberatò. Falsificantes Litteras Apostolicas: Ministros Montis Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci pro depositis Principis, privatarumque Personarum destinatis, furtum, aut falsitatem in prædictis Locis committentes, cujus ratione area pecuniaria ita minuatur, ut ponnæ ordinariæ locus sit: Constantes, adulterantes, vel tendentes quascunque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exteriorum, quoscunque in loco, aut Provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, & commercium: vel ipsas monetas constatas, adulteratas, aut detortas scienter ita expendere, & erogare præsumentes, ut fraudis conscii, atque participes censeri possint: Illos demum, qui sub nomine Curie sese introducunt in alienas domos, animò ibidem perpetrandi rapinas, eaque re ipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earundem ædium, vel extraneis, quem ibi fortè reperiri contigerit, dummodò homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.

§. VII. Ceterum, cum diuturna experientia compertum fuerit, Curis Ecclesiasticis in casibus, qui hæctenus evenerunt, difficulter probare, & consequenter declarare potuisse delictum, pro quo quis ad Ecclesiam confugerat, fuisse comprehensum in numero exceptorum propter varias earundem Curiarum præxim, & varias pariter opiniones Doctorum, qui ante dicti Gregorij Prædecessoris mentem, quoad normam, ab ipso præscriptam, recipiendi probationes, & procedendi ad declarationem criminum exceptorum interpretari voluerunt: statuis, præcipimus, & mandamus, nullam in hoc de cætero haberi rationem consueque interpretationis ejusdem Gregoriana Constitutionis, quæ à quocunque Doctore prodierit, neque praxis à quibuslibet Curis, aut Tribunalibus inventæ, imò nec quarumcunque declarationum, quæ ab hujus Alme Urbis Cardinalium, Immunitatis Ecclesiasticæ præpositorum, emanaverint, quatenus præfati Nostre Constitutioni adveniant, sed in occurrentibus casibus normam hæc à Nobis præscribendam inviolabiliter ab omnibus observari volumus, & sancimus.

§. VIII. Quotiescunque igitur Curia Ecclesiastica à Curia seculari fuerit requisita, ut Laicum aliquem delinquentem è loco immuni extrahi, ac illi consignari faciat, eaque super delicti excepti qualitates, ac personæ reitate subministrata, vel acquisita sint indicia, quæ ad capturam decernendam sufficere videantur; tunc Curia Ecclesiastica ad ejusdem delinquentis extractionem ab Ecclesia, aliove loco immuni, ope, ac medio suorum Executorum, implorato etiam, quatenus opus sit, brachii secularis auxilio, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ, ab Episcopo depu-

deputandæ, procedere teneatur; extractumque ad suos carceres asportari, ac ibi sua tuta Custodia detineri curet, & faciat. Ubi verò ex processu informativo desuper conficiendo, constat de crimine excepto, ac insuper adversus eundem Extractum talia resulvent indicia, ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit, (quæ quidem indicia juxta Regulas juris vocantur ultra torturam) eo tandem casu præfatum Extractum Ministris, & Officialibus Curie Sæcularis tradere, & consignare possit, ac debeat, exacta tamen, receptaque prius ab ipsis obligatione, in forma juris valida, resitendi Extractum Ecclesiæ, sub pœna Excommunicatiõis late sententiæ, Nobis, ac pro tempore existentis Romano Pontifici reservatæ, quatenus idem Extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget, & diluat. Quod si ea minime purgaverit, & verè delinquens repertus fuerit, Curie Sæculari in ipsum tali casu, ut juris esse censuerit, agere, atque procedere liceat.

§. IX. Præterea, considerantes sæpèdictum Gregorium Prædecessorem in sua Constitutione optimo quidem fure sanxisse, ut soli Episcopi, & non alii Episcopis inferiores, etiam si locorum Ordinarii sint, aut nullius Diocesis, aut Conservatores à Sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati, cognoscere, & declarare valeant, an delicta, pro quibus inquisiti ad loca immunia confugerunt, & in eis se receperunt, sint nec ne de genere, ac numero exceptorum: Nos, providam ejusmodi dispositionem approbantes, & confirmantes, eique inherentes Motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus, tenore præsentium, quibuscunque Magistratibus, officialibus, & Ministris Sæcularibus, necnon quibusvis aliis Personis cuiuscunque gradus, & Conditionis existant, etiam si Imperiali, Regia, Ducali, aut aliâ quavis mundana dignitate, aut Auctoritate præfulgeant, districtè interdiciamus, ac inhibemus, ne hujusmodi Causis, vel conficiendo processus, vel Inquisitos extrahendo à locis immuniibus, vel declarando Crimina, ab eis admittant, esse de exceptis in Gregoriana, aut in præfati Nostre Constitutione, ullo pacto sese ingerant, aut immisceant. Quod si secus quidam attentare præsumperint, ex nunc omnia in contrarium præmissorum gerenda, irrita, & inania, nulliusque roboris, vel momenti perpetuo fore, ipsosque attentantes in Censuras, & alias pœnas à sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, adversus eos, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam quoquo modò lædunt, ac violant, inflictas, incurere decernimus, & declaramus: volentes, intendentes, ac expressè mandantes, quòd omnimoda cognitio, atque iudicium de criminibus, in Gregoriana Constitutione exceptis, & à Nobis superius explicatis, tum etiam de aliis, quæ in præfati Nostre Constitutione adjicienda, & similiter excipienda, duximus, quemadmodum, ut præfertur, adjecimus, & exceptum ad Episcopos tantum, privativè quoad omnes alios, perpetuo spectet, atque spectare debeat! & donec ipsi in occurrentibus casibus declaraverint delictum esse de exceptis, & cætera omnia à Nobis superius constituta adimplerint, inquisitos Ecclesiæ, vel alterius loci sacri, ad quem confugerunt, Immunitate gaudere tutò debere, ac in ea conservandos, & manutenendos esse statuimus, præcipimus, & mandamus.

§. X. Universos demum, & singulos venerabiles fratres Nostros Patriarchas, Primate, Archiepiscopos, & Episcopos, quos hujus Nostre Constitutionis Executores deputamus, in Visceribus Domini Nostri JESU Christi hortamur, & paterna Charitate admonemus, ut quanti momenti sit hoc negotium, serò cogitantes, in occurrentibus casibus qualitate testium, & probationum pondus summo studio, ac vigilantia scrutentur, omnemque fraudem, & dolum procul arceri satagant; quin etiam Sacerdotali pectore, quotiescunque opus fuerit, iis omnibus obstant, qui ejusdem præfatis Constitutionem, ac observantiam quomodocunque temerario ausu impedire præsumerint. In reliquis porò casibus tam in hac Nostre, quam in Gregoriana Constitutione non exceptis, memores quàm acriter semper, & qua eximia, ac prostris singulari animi fortitudine Majores Nostri pro Ecclesiastica libertate, ac Immunitate pugnaverint, nihil de illa tamini permittant, neque sacris juribus labem ullam irrogari patiantur, sed ea pari sanè zelo, atque constantiâ tueri curent: ab omni tamen tumultu, ac perturbatione caventes, ne jactantiæ causa potius, quàm miserationis, & justitiæ titulo, Ecclesiastica privilegia asserere videantur.

§. XI. Decernentes easdem litteras præfatas, & in eis contenta quæcunque semper valida, firma, & efficacia exstere, ac fore, suosque integros, atque plenos effectus ubique fortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter, & inconcusse observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque ordinaros, & delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliove quoslibet quavis præminentia, & potestate fungentes, ac sancturos, sublata eis, & eorum cullibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac Auctoritate judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam, quavis Auctoritate, scienter, vel igno- rante conigerit attentari.

§. XII. Non obstantibus quibuscunque Cancellariæ Nostre Apostolicæ Regulis, nec non quoruncunque Prædecessorum Nostrorum Litteris Apostolicis, Privilegiis, Indultis, & facultatibus, quibusvis personis, etiam speciali mentione dignis, & quavis quantumcunque sublimi dignitate, & Auctoritate fulgentibus, & ex quibusvis etiam gravibus, ac urgentissimis Causis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoris, alique efficiatoribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, & occasiones, ac alia, etiam speciali expressione digna, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respectivè

Privativè
quoad Jus-
dices reli-
quos, sive
Ecclesi-
asticos, sive
laicos an-
delicta de
exceptis
sint, decla-
rare Episc-
oporum
tantum esse
decernitur.

Constitu-
tionis hujus
observantia
Episcopi
omnium
Majorum
Zelo ipse
proposito
demandan-
tur.

Decretum
irritans.

Contrariis
derogantur.

habentes, hac vice duntaxat, illis alias in suo robore permaneris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus.

§. XIII. Ut autem præsentis litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque generatis in Monte Citorio, ac in Aciæ Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arcere, & afficere: ac si unicusque eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: utque ipsarum præsentium litterarum transcriptis, seu Exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis; & sigillo alicujus Personæ, in Ecclesiastica dignitate constitutæ, munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhibetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Decretum pontificale.

§. XIV. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ Voluntatis, satisfactionis, Declarationis, Confirmationis, Præcepti, Decreti, Mandati, Prohibitionis, & Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, septingentesimo, vigesimo quinto, sexto idus Junii, Pontificatus Nostri Anno secundo.

P. M. Gard. Probat.

F. Card. Oliverius.

Visa de Curia I. C. Archi- Episc. Amalencus.

Loco + Plumbi.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

§. VI.

De Effectibus, Favoribus, & Privilegiis Immunitatis Asyli.

SUMMARIUM.

- 156 Rei debent recipi in loco sacro.
- 157 Et de bonis loci sacri sustentari.
- 158 Nisi propria habeant, & facile habere possint. An, & quomodo succederi eis possit, ut discedant. Ibid.
- 159 Nemo potest impediri, quo minus Reus fruatur necessariis naturæ.
- 160 Non potest vi extrahi à loco sacro.
- 161 Potest tamen sponte egredi, & extra capi, non tamen in ipsa Ecclesia, nisi consentiat.
- 162 Ad sponte exeundum falsâ promissione inductus gaudet Immunitate.
- 163 Sociis, si solis blanditiis absque promissione inducatur.
- 164 Dolo, fraude, & mendaciis ad sponte exeundum inductus non gaudet Asylo.
- 165 Nisi Judex ipse per se, vel alium talem fraudem committat.
- 166 Reus in loco sacro existens non potest condemnari ad mortis, vel corporis penam.
- 167 Bene tamen si exeat.
- 168 Panâ pecuniariâ, aut aliâ competenti potest, & debet etiam in ipso loco sacro puniri.
- 169 A quo Judice?
- 170 Non potest spoliari bonis suis secum in locum Asyli, allatis.
- 171 Neque potest in loco Asyli carcerari, aut vinculis constringi.

Ecclesiarum sibi obtinere membra, & vitam. Concordat L. 2. & 3. & l. Præsent. 6. C. de His, qui ad Ecclesias confug. ibi: Ex his (Religionis) locis, eorumque finibus nullus expelli, aut aliquando efici possunt. Ratio est: tum quia tenentur Rectores Ecclesiarum jura Ecclesiæ, ipsiusque Immunitatem defendere; ergo hoc ipso non possunt Reos illuc confugiens repellere. Tum quia eo ipso, quod concedatur Reis jus ad Ecclesias confugiendi, imponitur Rectoribus Ecclesiæ obligatio eos recipiendi, aliâ enim si Rei pro libitu Rectorum possent non recipi, aut etiam recepti iterum repelli, vel rejici, parum, aut nihil prodesset Reis Jus Asyli: præsertim si Potestas seculari extradiationem urgeret, ubi Rectoribus Ecclesiarum excusatio non iuperesset dicendo, non possum, non licet &c. Licetum est tamen Rectoribus Ecclesiæ, imò expedit, suadere Reis, ut nimis diu non morerentur in locis sacris juxta dicenda infra n. 158.

II. Effectus, seu commodum est, quod debeat 157 Ecclesia, aut alius locus sacer Reum de bonis suis sustentare, eique vitæ præbere necessaria, nisi ipse bona propria habeat, aut aliunde à consanguineis v. g. facile habere possit. Abbas in c. Inter alia. 6. h. t. n. 28. Sylvester y. Immunitat. 3. n. 5. Glossa communiter recepta in can. Disinivit. 35. cau. 17. q. 4. v. Defendatur. arg. l. Præsent. 6. C. de His, qui ad Eccles. confug. Ratio est: tum quia aliâ indirectè cogeretur Reus ad exeundum, & Potestati seculari se tradendum, aut fame moriendum; sicque rursus eidem non prodesset Jus Asyli. Tum quia tenentur Rectores Ecclesiarum conservare Rei vitam, & membra, per Jura citata num. præced. ergo tenentur vitæ præbere necessaria.

Nisi ipsemet bona propria haberet, aut aliunde à 158 consanguineis v. g. facile habere possit, uti notanter limitatum est num. præced. tamen in casu de illis, non de Ecclesiæ bonis vivere debet Reus, prout citati DD. cum communi aliorum bene advertunt. Imò non potest Ecclesia in tali casu eum de bonis suis sustentare, quia malè dilapidaret patrimonium Christi, & pauperum. Hinc etiam juxta DD. citatos in casu quo ipse Reus nihil habeat, nec aliunde quid habere valet, potest cogi ad laborandum, & serviendum in commodum Ecclesiæ, ut sic expensæ in eum factæ de Ecclesiæ bonis, quæ non nisi ad causas pias & pauperes erogari possunt, compen-

§. VI. De Effectibus, Favoribus, & Privilegiis &c.

compensentur. Atque ne Immunitas sic ei occasio otiosi, & exinde peccandi. Addunt aliqui, & merito non expedit, ut Rei propriis debitum mediis diutius morerentur in locis sacris, ne ipsi per incommo- dum Ecclesiæ, egentium, & pauperum abantur expensæ, ut dicitur citatâ l. Præsent. 6. C. de His, qui ad Eccles. confug. Hinc bene possunt Rectores Ecclesiæ Reo suadere, ut discedat, si cognoscunt, quòd in alio loco, aut Provincia securè, & absque periculo degere valeat, illucque eundem convenientibus modis ducere, & dirigere sine periculo possunt, & nisi aliud circumstantiæ exigant.

III. Effectus, seu commodum est, quod nemo 159 prohibere, aut impedire potest, quo minus ad Reum in loco Asyli existentem deferatur necessarius fructus, & vestitus, ipseque Reus necessaria requie vicus, & naturam etiam extra locum Asyli (si reverentia loci exeat) exonerare valeat. Omnes ob clara Jura. Et quidem de victu, vestitu, & requie patet ex l. Præsent. 6. princ. C. de His, qui ad Eccles. confug. ibi: Nec patimur in ipsis Ecclesiis reverentia quæque detineri, arg. constringi, ut ei aliquod vitulum verum, aut vestis negetur, aut requies. Ratio est, quæ num. 157. posita, nempe, quia aliâ indirectè cogeretur ad exeundum, aut moriendum. De exoneratione naturæ apertè patet ex can. Disinivit. 35. cau. 17. q. 4. ubi propterea triginta passus in circuitu Ecclesiæ conceduntur; qualiter ad requisita naturæ usum debitis exeat locis, & nullo reventur eventum necessitudinis, qui Dominici se defendendos commissurum clausuris; ut ibidem dicitur. Ratio est; quia cum ex una parte conservatio vitæ exigat naturæ exonerationem, ex altera verò eam in se non patiatur reverentia loci, necesse est, extra congruum habere locum. Hinc cum aliis bene advertit Hannoldus Tom. 6. tr. 1. n. 238. & 274. necessitatis naturæ causâ egressum à loco sacro à Potestate seculari capi non posse.

IV. Est, quòd Reus à loco Asyli per vim extrahi, aut abstrahi à nullo possit (nisi commiserit crimen exceptum) unanimis. Textus expressus est in cit. can. Disinivit. 35. cau. 17. q. 4. ibi: Nullus audeat confugiens ad Ecclesiam, & residentem inde abstrahere, &c. Inter alia. 6. h. t. ibi: Quantumcumque gravia molestia perpenderit (nisi sint de exceptis) non est violenter ad Ecclesiam extrahendus. Concordat L. 2. C. de His, qui ad Eccles. confug. ibi: Sancimus, nemini licere ad SS. Ecclesias confugiens abducere, & l. Præsent. eod.

Et quomvis possit Reus sponte exire, ac permittere, ut egressus capiatur, Pignatell. Tom. 9. Consult. 2. n. 29. Farinacius in Append. de Immunit. cap. 10. n. 306. cum tunc nec ipsi, nec Ecclesiæ fiat injuria. Non ipsi, quia volenti non fit injuria, l. Cum donationis. C. de Transact. Non Ecclesiæ, quia inde nec violenter extrahitur; nec ibidem capitur, quo solo ad præsens videtur fieri injuria, aut irreverentia loco sacro. Non potest tamen conlectire, ut in Ecclesia capiatur, aut ex illa trahatur, aut ducatur, neque licita, neque valida est talis extractio aut extractio consentiente Reo facta. Farinacius lo. cit. n. 304. ubi citat Masfrill. Consult. 169. lib. 2. Decian. in Tract. Crimin. Pignatell. lo. cit. Palao tr. 11. Disp. un. pun. 11. n. 5. & novissime Doctissimus Jacob. Wiesner in suo Jure Asylo. p. 5. a. r. n. 13. ubi etiam citat Delbene cap. 16. dub. 26. n. 7. Ratio est; quia Immunitas Asyli est potus locale quàm personale privilegium concessum per d. c. n. 63. arg. l. Præsent. 6. de His, qui ad Eccles. confug. can. Frater. can. Disinivit. can. Si quis contumax caus. 17. q. 4. quorum textus vide supra n. 63. can. Reum. 9. cau. 17. q. 4. ubi statuitur Immunitas, ut honor Dei, & Sanctorum eius servetur; atque Privilegio Responsual Jus Can. Tom. III.

locali persona renuntiare nequit; sicut à pari etiam Clericus renuntiare non potest privilegio Clericali, utpote non tam ob favorem personæ, quàm totius status Clericalis introducto. Hinc capi capere aliquem in ipsa Ecclesia, vel ab eadem abstrahere est contra Immunitat. m. & Ecclesiæ Injuriosum, tale manebit, etsi capiendus consentiat. Quapropter, si spontè se subicere vult Potestati seculari, exeat prius, & dein faciat & permitat, quod vult.

Porro si ad sponte egrediendum Judex siccâ promissione securitatis, & impunitatis Reum induxit, tenetur eidem servare fidem promissam, vel iterum restituere loco sacro. Farinacius ubi supra n. 301. Barbosa lib. 2. Jur. Eccles. un. cap. 2. n. 54. Navarrus in Manual. cap. 21. n. 22. Castro Palao ubi supra n. 3. Azorius p. 2. lib. 9. cap. 9. q. 11. cum communi aliorum. Ratio est; quia cum Reus non nisi sub conditione securitatis promissæ deseruerit locum Asyli, debet conditio à promittente servari, aut delentio loci sacri censetur nulla; cum paria sint, nihil fieri, & sub conditione fieri, quæ non purificatur, arg. l. Si quis sub conditione. ff. Si quis omisâ causâ. l. Cedere d. em. ff. de V. S. l. Qui heredi. & l. Marcius ff. de Constit. & demonstrat.

Nura autem Immunitatem perdat Reus, si blandis 163 verbis, aut etiam dolo, & mendaciis absque tamen promissione securitatis inductus spontè egrediatur? Alia est questio, circa quam decidendum oportet respondere cum distinctione. Et quidem primò affirmativè respondendum, si absque fraude & mendaciis, solis blanditiis, blandisque verbis rogationibus, aut persuasionibus inductus egrediatur Reus. Pignatell. Tom. 1. Consult. 100. n. 4. Pirhing h. t. n. 42. Farinacius lo. cit. n. 302. Castro Palao p. 2. tr. 11. Disp. un. puni. un. n. 1. Hannoldus Tom. 6. tr. 1. num. 240. & communissima aliorum. Ratio est; quia nec Ecclesiæ, nec Reo vim, vel injuriam infert.

Idem dicendum videtur, si dolo, fraude, & mendaciis ab aliquo tertio v. g. oculo inimico Rei, aut alio indifferente non Judice, nec per Judicem ad hoc constituto induceretur ad egrediendum: his vel similibus à parte rei falsis verbis: Egredere, nemo est foris, habes securam fugam: vel, Nihil patieris in vita & membris: vel, Audivi à Judice, vel aliis fide dignis, quòd gravi non sis ple- tendus pe. à &c. Pirhing lo. cit. Hannoldus lo. cit. Navarrus in Manual. cap. 25. n. 22. Ratio est; quia in tali casu per Judicem seculararem non fit injuria Ecclesiæ, nec Reo, utpote quem spontè egressum extra locum Asyli capit. Nec refert, quòd Reo illata fuerit injuria à tertio, quia hoc Judicem non tangit, & sibi ipsi imponere debet Reus, quòd alii crediderit, & circumspedire non egerit; diciturque in tali casu potius à sua imprudentia, quàm dolo, & fraude alicuius seductus, arg. c. Cum dilectus. 6. de His, que vi metusque causâ sunt. illi: Non obstante dolo, quo se proponebant, fuisse seductos; cum talis dolo non tam ad circumventionem Cisterciensium, quàm ad facultatem eorum debeat retroqueri.

Quòd si verò ipse Judex per se, vel per alium 165 fraudolenter dolois, & mendaciis verbis, etsi absque promissione aliqua prolatis Reum ad spontè egrediendum inducat, non privatur Reus Jure Asyli, nec potest puniri, sed debet iterum in statum pristinum restitui, Jacob. Pignatell. ubi supra n. 4. Hannoldus Tom. 6. tr. 1. n. 240. Diana part. 1. Resolut. 26. Pirhing h. t. n. 42. ad finem. Layman lib. 4. tr. 9. cap. 2. n. 13. §. 5. & alii communiter. Ratio est; quia fraus & dolo alicui perorari non debent; uti dicitur c. Sedes. 15. & c. Ex tenore. 16. de Rescripti. consequenter nec Judici: Et quia Jura deceptis, & non decipientibus subveniunt. Accedit, quòd

quod in tali casu Reus non censetur sponte ac voluntarie egressus; nam *crantis nullus est consensus, l. Non idcirco. C. de Jur. & facti Ignorant.*

166 V. Est, quod quomdiu in loco sacro existit Reus, non possit per sententiam aliquam condemnari ad mortem, aut aliam poenam corporalem. Pirhing lo. cit. n. 47. Layman lo. cit. §. 2. Sylvester §. Immunitas 3. q. 4. Abbas in c. Inter alia. 6. h. t. n. 3. & ibi Fagnanus n. 11. & seqq. can. Reum. 9. can. Id constitutum 76. cau. 17. q. 4. &c. Inter alia. h. t. ibi: *Nec inde damnari debet ad mortem, vel ad poenam (intellige corporalem) notat tamen Castro Palao p. 2. n. 11. Disp. un. punc. 11. n. 11. Clarus, Haunoldus ubi supra n. 249. Et sic Juri pluribus in locis derogatum esse consuetudine, vi cuius Reus ad loca sacra confugiens a Iudice citatur, & non comparereus condemnatur poena ordinaria, quamvis sententia executioni mandari non possit, nisi Reus sponte exeat, aut alias extra deprehendatur, quae consuetudo, cum sit contra solum Jus humanum, utime valeat?*

167 Voluit insuper plures, aut Sylvester ubi supra ad finem, Fagnanus lo. cit. n. 12. Joan. Andreas in c. Inter alia. 6. h. t. n. 8. & ibi Archidiaconus n. 3. cum Glossa in can. Reum. 9. cau. 17. q. 4. v. *Vel ad mortem*, quod postquam aliquis ob delictum non exceptum semel confugiat ad Ecclesiam, amplius ad poenam mortis, vel aliam corporalem condemnari ob tale delictum non possit, etsi sponte exeat; quia sicut, alias Immunitas parum prodest. Verum haec doctrina nullo solido nititur fundamento, ut bene advertit Haunoldus lo. cit. n. 243. Etque contra universalem praxin, & consuetudinem, quae est optima Legum interpret. c. Cum dilectus. 8. de Consuecud. videmus enim, quod exeuntes de locis sacris passim capiuntur, & morte afficiuntur. Infirma est etiam ratio alatae doctrinae; quia satis adhuc fructificat Immunitas, quod existens in loco sacro securus sit Reus, ibique de fuga in alium commodum & opportunitum locum confugere, ac consulere sibi possit. Magis verisimile videtur, quod citatis pluribus aliis docet Farinacius in Append. de Immunit. cap. 21. n. 34. Castro Palao lo. cit. n. 10. videlicet, exeuntem de loco Asylitunc non amplius posse condemnari ad mortem, vel ad poenam, si existens in loco jam fuit condemnatus ad poenam pecuniariam; quia per sententiam super aliquo crimine latam exprimit officium & potestas Iudicis, l. Index. ff. de Re iudicat.

168 Illud certum est, quod etsi Reus, quamdiu existit in loco sacro, ad poenam mortis, vel corporis condemnari non valeat, possit tamen puniri pecuniaria, aut alia competenti poena. Abbas in c. Inter alia. 6. h. t. n. 9. & ibi Fagnanus n. 16. Anchoranus n. 2. Barbosa n. 35. Farinacius lo. cit. per totum. Pirhing lo. cit. n. 47. cum communissima aliorum arg. cit. can. Id constitutum. cau. 17. q. 4. & c. Inter alia. 6. h. t. ibi: *Super hoc tamen, quod inique gessit, est aliis legitime puniendus.* Et quidem si per delictum suum alterum damnificavit, non tantum potest, sed & debet compelli ad satisfaciendum per pecuniam, aut alia bona temporalia, si quae habet, arg. cit. can. Reum ibi: *Tamen legitime componat, quod inique fecit* (componere enim pro damno dato est pecuniarie satisfacere, Fagnanus lo. cit. n. 17) & cit. can. Id constitutum. ibi: *Et, cui fuerit criminofus (id est obnoxius Glossa ibidem) de satisfactione conveniat.* Hinc etiam ipso existente in loco sacro, licite fit executio in ejus bonis; quod si vero bonis, & pecuniis caret, aut delictum alteri non obnoxium commisit, alia plaga poenitentiali competenti etiam corporis leviter astrictiva puniri potest. Castro Palao lo. cit. n. 9. Suarez lib. 3. cap. 12. n. 5. & 6.

Farinacius lo. cit. n. 333. & 334. cum aliis, arg. c. Inter alia. 6. h. t. ubi de quodvis ad Ecclesiam confugiens Reo dicitur, quod *super eo, quod inique gessit, est legitime puniendus.*

A quo autem Iudice sit puniendus, quamvis controversant DD. uti videre est apud Farinacium, communior tamen, & probabilior est, poenam sive pecuniariam, sive aliam per Iudicem Ecclesiasticum esse imponendam. Farinacius lo. cit. n. 339. citans Hostiensium, & communem Doctorum in cit. c. Inter alia h. t. Castro Palao lo. cit. n. 10. eo quod ratione loci sacri tunc Iudex Ecclesiasticus videatur foris Forum. Hoc tamen limita in casu, quo Reus facta sibi securitate, & salvo conducto ad egressiendam, & regrediendam ipsemet vellet ad Iudicem saecularem exire, ibique cum parte laica de satisfaciendo responderet, & componere, quia tunc clarum est, quod Iudex saecularis causam cognoscens, & examinans poenam pecuniariam competentem imponere habeat. Castro Palao lo. cit. Abbas lo. cit. n. 8. & 9.

VI. Est, quod Reus non possit spoliari rebus suis, quae secum tulit in locum Asyli, Farinacius in Append. de Immunit. cap. 19. n. 300. Castro Palao lo. cit. n. 8. Pirhing h. t. n. 49. Layman lo. cit. n. 13. §. 4. cum communis aliorum, arg. can. Sicut 6. cau. 17. q. 4. ibi: *Qui personam, aut bona ejus subtraxerit (de loco Asyli) excommunicatur, & can. Diffinitio. ad caus. 9. ubi prohibetur, quidpiam nobilitatis, vel damni, seu spoliis residens in loco sancto inferre: quod intellige de bonis propriis: nam aliena, si secum afferit, etique auferri, & suo domino restitui debent, uti tenent Omnes. Imo si ob damnum datum oportet restitutionem fieri, etiam de propriis bonis secum alatis, ut satisfaciatur, per legitimum Iudicem compelli potest, per dicta a n. 166. Similiter spoliari potest armis prohibitis; si quae secum tulit. Doctores post Covarruviam Variar. Resolut. cap. 20. n. 18. Corol. 36.*

VII. Est, quod Reus in loco Asyli non possit capi, nec carcerari, nec vinculis contrinigi a Potestate saeculari. Farinacius lo. cit. n. 297. Castro Palao lo. cit. n. 6. Covarruvias lo. cit. n. 17. in princ. Thulcius §. Ecclesie. Concl. n. 12. & alii communiter, arg. l. Praesenti. C. de His, qui ad Eccles. confug. ibi: *Non patitur &c. in Ecclesiis quempiam detineri atque contrinigi, & can. Diffinitio. 16. caus. 17. q. 4. Ratio est; quia alias ex loco Asyli fieret carcer, quod est contra Immunitatis naturam. Quomodo autem, & a quo custodiri possint & debeant, ubi dubium est, vel constat, crimen esse exceptum, dicitur statim Paragrapho sequenti.*

§. VII.

De Custodia, & Extractione confugientium ad Ecclesiam: Modoque custodiendi, & extrahendi eisdem: ubi etiam de Restitutione male extractorum.

SUMMARIUM.

- 172 Gaudens Asylu non debet, nec potest custodiri, aut carcerari in loco sacro.
- 173 Bene tamen extra illum.
- 174 Quando dubium est, vel constat, crimen esse exceptum, tenentur Rectores Ecclesie custodire Reum, ne elabatur, si fuerint requisiti.
- 175 In casu Criminis excepti non potest Curia saecularis in ipso loco sacro custodire Reum.
- 176 Nisi fuerit a Rectore Ecclesie requisita.

- 177 Aut Rector Ecclesie requisitus custodire recuset.
- 178 Rectores Ecclesie Reum invitum trahere non possunt Curiae saeculari.
- 179 Si deus est, si sipse exire velit.
- 180 Trahere etiam possunt, & debent Reum Criminis excepti, si fuerint requisiti.
- 181 Absque hoc quod petant juramentum de non inferenda poena mortis, aut protestationem faciendam.
- 182 Secundum aliquos requiruntur ad extrahendum licentia Episcopi.
- 183 Contrarium est probabile.
- 184 Dummodò cerid constet, crimen esse exceptum.
- 185 Et requiruntur a Potestate saeculari.
- 186 An, quando Reum extrahere possit Curia saecularis? Et num. seq.
- 188 Quomodo cum extrahere procedere possit, ac debeat?
- 189 Compensiosa, & practica instructio circa materiam Asyli occurrente casu dubio de Crimine excepto. Extrahitur num. seq.
- 193 In dubio an Reus gauderet Asylu cognoscit solus Episcopus. Et num. seq.
- 195 Solvitur instantia.
- 196 Paleari Episcopo inferiores in dubio judicialiter non possunt cognoscere.
- 197 Extrajudicialiter, ac pro informatione etiam Iudex saecularis cognoscit.
- 198 Episcopus non tenetur nec potest stare Processui, aut informationi a Iudice laico, facta.
- 199 Ut Episcopus decidere possit aliquem non gaudere Asylu, debet judicialiter, & certo constare de Crimine excepto commissio.
- 200 Episcopus, quando cerid constat de Crimine commissio, sed dubitatur, an sit exceptum, debet iudicare pro Immunitate, idem debet facere in conspectu DD.
- 201 Si cerid constat, debet Deum trahere non obstante appellatione.
- 202 Iudex saecularis gravatum se sentiens, an possit appellare, ac potere, ut interea Reus bene custodiatur.

172 Q Uaeritur I. An, a quo, & quando custodiri possint, ac debeant Rei ad Ecclesiam confugiens, ne elabatur, donec ab Episcopo cognoscatur, num gaudeant Immunitate nec ne? Resp. I. In casu, quo liquide constat, Crimen non esse exceptum, ipsamque confugientem gaudere Asylu, nec Rectores Ecclesie, nec saecularis Potestas intra Ecclesiam, seu alium locum sacrum, aliquo modo carcerare, vel custodire Reum potest aut tenetur. Ita sentit Omnes. Patetque Conclusio ex dictis num. praeced. Et ratio est; quia in tali casu cessat custodiendi ratio & finis, qui est, ut Jure Asyli carens legitime tradi valeat Curiae saeculari, & ab ea puniri, ne delicta maneant impunita.

173 Dixi Intra Ecclesiam, quia extra illam bene potest Potestas saecularis Custodiam ponere ad praecavendum, ne libere effugiat Reus, & ut, si exeat, extra facilis capi, & puniri valeat. Farinacius ubi supra n. 299. Bonacina Tom. 2. Disp. 3. q. 7. punc. 3. n. 2. citans Marium Ital. de Immunit. lib. 1. cap. 6. §. 2. n. 52. Haunold. lo. cit. n. 245. Castro Palao lo. cit. n. 6. Ratio patet; quia per talem custodiam poenitentia nulla vis, vel injuria inferunt loco sacro; praesertim, cum, uti supponitur, liber permittatur accessus deferentibus Reo necessaria vitae.

174 Resp. II. Quando dubium, ac controversa est, num Reum ob qualitatem delicti, aut persone, vel aliam rationem Asylu gauderet, nec ne? & multo Responstual Jus Can. Tom. III.

magis si indubitanter constat Crimen esse exceptum. Potest, & tenetur Rector Ecclesie, aut aliterius loci sacri, si fuerit requisitus, caute custodire Reum, adhibitis etiam, si opus foret, carceribus, & compedibus, donec ab Episcopo causa examinetur, ac decidatur. Farinacius lo. cit. n. 298. Tufchus §. Ecclesie Conclusio 10 num. 12. & seqq. qui ambo eddunt, Rectorem Ecclesie teneri de culpa, & debere puniri a suo Superiore, si Reus elabatur. Anchoranus in c. Inter alia. 6. h. t. n. 8. Marium Ital. lo. cit. Decian. in Tract. Crimin. lib. 6. cap. 26. n. 9. Et plures alii a Farinacio citati. Probatur ex Bulla Gregorii XIV. §. ubi Papa Curiae saeculari concedit, quod in casu Conclusionis etiam vi extrahere possit Reum, si persona Ecclesiastica in casu Criminis excepti, debite requisitus eum trahere, carcerare, & custodire recusat. Ratio est, quia Rei Criminis excepti tradi debent Curiae saeculari, juxta dicenda infra num. 180. ergo in casu dubio & controverso & multò magis in certo, si talem iterum custodiri debent (si fuerint requisiti) ut causam per Episcopum examinata, tradi, si fieri oportet, possint. Et certe si Rectores Ecclesiarum debite requisiti custodire praefatos Reos Criminis excepti non tenerentur, sed eos libere dimittere, vel etiam, ut fieri solet, omnem occasionem fore praehere, & ad eam juvare possent, Bulla Gregorii XIV. in eo, quo disponit, ut Rei Criminis excepti Curiae saeculari tradantur, criminosa excepta impunita non maneant, non tandem elideretur, sed etiam occasio scandalii oriretur, quo facile inducerentur Curiae saeculares, ut in quovis dubio casu sine alia requisitione eriperent Reum, timentes, ne, donec responso ab Episcopo veniat, Reus incustoditus, auxilio Rectorum Ecclesie elabatur.

Resp. III. In praesato casu dubio aut controverso 175 so, vel etiam certo Criminis excepti, Regulariter ac de Jure loquendo nequit Potestas saecularis Reum in ipso sacro loco sine expressa licentia Episcopi carcerare, vinculis contringere, aut alio modo custodire, donec causa ab Episcopo examinetur. Farinacius lo. cit. n. 297. & 298. Castro Palao ubi supra n. 6. Haunoldus Tom. 6. tr. 1. n. 245. Peregrinus de Immunit. cap. 16. num. 29. & novissime Eximius P. Wiefner in suo Jure Asyli. p. 5. a. 3. n. 4. per Jura n. 171. citata, & praesertim Bullam Gregorii XIV. ubi §. 4. expresse statuitur, quod in Criminibus exceptis Curia saecularis sine expressa licentia Episcopi incarceratione nequeat Reum. Ratio est: tum quia nequit Iudex saecularis in alieno Territorio, qualis respectu ipsius est locus sacer, exercere aliquam jurisdictionem contentiosam, arg. l. Extra territorium ff. de Jurisdiction. omn. Judic. ergo. Tum quia in tali casu Ecclesia est in quasi possessione ipsius Rei, in qua per Iudicem saecularem turbamur nequit, usque ad decisionem; praesertim cum Ecclesia immunitas sit ab omni jurisdictione, & vexatione Potestatis saecularis, juxta dicenda infra de Immunitate reali. & dicta superius lib. 2. Tit. II. de Foro compet. §. 9.

Dicitur autem notanter Regulariter ac de Jure 176 loquendo; quia limitatur Conclusio in casu, quo Rector loci sacri defectu tunc custodire, aut virum implorat Iudicem saecularem pro auxilio: tali namque in casu posse Potestatem saecularem non quidem suo, sed Rectoris nomine, in ipso loco sacro custodire Reum, non ambigitur, ne bene observat Bonacina Tom. 2. Disp. 3. q. 7. punc. 3. n. 6. citans Marium Italum lo. cit. cap. 6. n. 51. Peregrin. cap. 13. n. 2. Covarruv. lib. 2. Variar. Resolut. cap. 20. n. 17. & alii. Ratio est; quia hoc ipso, quod non proprio, sed Rectoris nomine custodiat, jam non saeculari, sed Ecclesiastica Potestate custodiri censetur, SII 3 Reus,

Reus, arg. L. 1 § 6. Sed neque C. de Veteri Jure enucleat. ibi: Omnia nostra facimus, quibus ex nobis auctoritas impertitur.

177 Limitatur II. In casu, quo Rectores Ecclesie debent requisiti, ut Reum nique ad responsum Episcopi sufficienter custodiant, id facere recusarent, vel adimplere negligenter, prout ipsemet Pontifex in citata Bulla §. 4. limitat illis verbis: Nisi per se non Ecclesiastica requisita illos in delictis Superioris expressis culpabiles tradere, aut captivum, & incarcerationi intervenire, & assistere recusarint. In quo casu concedit Papa Curie seculari, quod Reum etiam extrahere, ergo multo magis, quod eundem in loco sacro custodire possit: Nam cui licet, quod plus est, licet utique quod est minus, c. Cui de R. J. in 6. plus autem est vi extrahere, quam tantum in loco sacro custodire, & minus per hoc, quam illud leditur Immunitas: ergo.

178 Queritur II. An, quando, & a quo Curie seculari extradi possint, ac debeant Rei ad loca sacra confisgentes? Resp. I. Quamvis olim de Jure antiquo quivis Reus ad Ecclesiam confisgentes ad Rectorem Ecclesie tradi poterit. Potestas seculari, si hanc prelio iuramento impunitatem Rei promittit, arg. can. Diffinit. 35. & can. Id consiliumus. 36. cau. 17. q. 4. ibi: Reos non licet alteri consignare, nisi ad Evangelia datis Sacramentis de morte, & debilitate de omni panarum genere sint securi: Hodie tamen post Bullam Gregorij XIV. Rectores Ecclesie etiam recepto iuramento nullum invitum tradere possunt, nisi clare constet, eum commisisse Crimen exceptum. Farinacius in Append. de Immunit. cap. 22. n. 344. Haunoldus Tom. 6. tr. 1. n. 241. Castro Palao p. 2. tr. 11. Diss. un. punc. 13. n. 2. & alii. Probat ex dicta Bulla Gregorij XIV. §. 3. ubi tantum in casibus exceptis conceditur Prelatis Ecclesie, quod Reum extrahere possint; ergo a sensu contrario in casibus non exceptis invitum extrahere nequeunt, praesertim cum ad finem addatur Decretum irritans.

179 Dicitur notanter invitum; quia si Reus sponte exire velit ad tempus aliquod, ut citatus coram Iudice respondeat v. g. seque purget, vel eum parte laica componat, vel quid aliud faciat, a Rectore Ecclesie libere dimitti potest, & ut dimittat, sepe expedit; dummodo preli infiet, ut Iudex securitatem, & liberum regressum una cum salvo conducto si necesse fuerit, promittat: sic enim, cum Iudex teneatur stare promissis juxta dicta num. 162. abique periculo exire, & redire, si simile cause sine vigilare poterit abique ulla Immunitatis lesione. Imo, si absolute discedere, & Iudicis clementiae, aut discretioni committere se velit Reus, omnino eum dimittere potest Rector Ecclesie, idque abique perita Episcopi licentia per dictam. 161.

180 Resp. II. Tam Episcopi, quam inferiores Regulares, & seculares Rectores Ecclesiarum non tantum possunt, sed etiam tenentur extrahere Reum, qui aliquod e Criminibus exceptis commisit, si fuerint requisiti a Curia seculari. Castro Palao ubi supra n. 1. cum communi, & certa aliorum: Idque clare patet ex sepe citata Bulla Gregorij XIV. §. 3. ubi recensitis Criminibus exceptis, statuit his verbis: Universis & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, ceterisque Ecclesiarum Prelatis tam Regularibus, quam secularibus districtè mandamus, ut Laicos &c. qui praedicta delicta, vel eorum aliquod iudicio suo commisisse videntur, quando a Curia seculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, Amittit & Officialibus Curia secularis abique irregularitatis nota, aut alicujus Censurae Ecclesiasticae incurso tradi & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curent, & faciant.

Resp. III. Ad hoc, ut Reus Criminis excepti legitime tradatur Curie seculari, non requiritur, ut Episcopi aut alii Ecclesiarum Rectores exigant, vel Potestates seculares praesentent iuramentum de non infligenda poena mortis, aut corporali; neque necesse est, ut circa hoc protestationem faciant praesentia Ecclesiarum Rectores. Farinacius ubi supra cap. 22. n. 343. Castro Palao lo. cit. n. 3. Bonacina Tom. 2. Diss. 3. q. 7. §. 7. n. 12. Bajard. in Addit. ad Clar. q. 30. n. 15. cum Communi aliorum, id probantium per allegatum num. praed. Bullae Gregorianae textum, ubi proflus nulla fit mentio de aliquo iuramento, cautione, aut protestatione, sed potius contrarium insinuat, dum dicitur, posse talem abique irregularitatis, aut alicujus censurae Ecclesiasticae nota tradi. Accedit teste Farinacio lo. cit. & Barbosa in can. Reum. q. cau. 17. q. 4. n. 1. & aliis, recepta locorum praxis, ac consuetudo, quae est optima Legum interpretis, c. Cum dilectus, de Consuetud. Imò addunt primum citati Auctores, non teneri Iudicem seculares servare promissionem de non puniendo extractum Reum Criminis excepti.

182 Queritur III. An necessaria sit licentia Episcopi ad hoc, ut Reus Criminis excepti tradi possit Curie seculari eundem requirenti? Ad hoc quaesitum affirmativè respondet Castro Palao lo. cit. n. 3. Bonacina lo. cit. n. 4. Haunoldus lo. cit. n. 266. & alii id potius supponentes, quam probantes; Castro Palao enim, & Haunoldus nec Legem, nec rationem afferunt; Bonacina verò, licet ex Jure, & ratione probationem facere nitatur, tamen quia potius de extractione, quam traditione procedit, efficit non videtur. Optima probatio pro eis esse videtur praxis & consuetudo optima Legum interpretis, c. 8. de Consuetud. & L. 37. ff. de Legib.

183 Verum loquendo de Jure, & manendo in terminis Bullae Gregorianae non improbabile videtur, posse Rectores Ecclesie etiam abique perita licentia Episcopi Reum extrahere Curie seculari, si clare & indubitanter constat, eum commisisse Crimen exceptum. Et quidem, quod de Jure communi fieri queat, patet, ex c. Inter alia. 6. h. t. quod autem vi Bullae Gregorianae fieri possit, liquet ex §. 3. ejusdem, cujus textum vide & lege num. 180. ubi specialiter considerandum, quod non tantum Episcopis, sed etiam omnibus & singulis Ecclesiarum, & Monasteriorum Prelatis tam secularibus quam Regularibus districtè praecipiat Papa, ut Laicos, qui delicta excepta, vel aliquod eorum iudicio suo commisisse videntur, quando a Curia seculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, & consignari curent & faciant: & NB. quilibet eorum curent & faciant. Nota repetitos terminos, quilibet si fuerit requisitus tenetur, consequenter a fortiori potest talem Reum tradere, etiam abique licentia, aut mandato Episcopi, eò quod in Bulla penitus non requiritur.

Nec dicas, §. 4. statim sequenti expressè requiri licentiam Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, quod idem requirere videtur §. 5. Nam contra est, quod §. 4. non loquitur de extractione, quae fit per ipsos Rectores Ecclesie; sed de extractione, captivitate, & incarceratione, quam irrequisitis Rectoribus Ecclesie facere volunt Potestates seculares, & ad has, vel earum aliquam extractionem nempe, captivam, aut incarcerationem Rei per seculares faciendam: non item ad traditionem per Rectores Ecclesie; praestandam, licentiam Episcopi requiri, citato §. 4. statuitur, ibi: Decernimus, & declaramus, ut Curia secularis, ejusque Iudices (ecce de his, & non de Rectoribus Ecclesie loquitur) delinquentem in aliquo ex delictis casibus sine expressa licentia Episcopi vel ejus Officialis &c. capere, extrahere, aut incarceratione

(ecce,

(ecce, nulla mentio de extrahitione per Prelatos Ecclesie faciendi) non possunt, nisi in casu &c. Dein non obitat §. 5. utpote qui patet, non de extrahitione per Rectores Ecclesie faciendi, sed de longè alto casu, ubi nempe loquitur, quo Rectoribus Ecclesie post requisitionem factam, Reum tradere reculantibus, Potestas secularis Reum extrahit, in quo casu extractus ad carcerem Curie Ecclesiasticae collocari jubetur, donec causa ab Episcopo examinetur. Legat, & relegat B. nevolus Lector Bullam, praesertim §. 4. & §. 5. & aliter non inveniet, sed f. tebitur, quod spectata Bulla Gregoriana Rectores Ecclesie ad tradendum Reum Curie seculari, qui Crimen exceptum indubitanter commisit, licentia speciali revera non indigeant; cum eandem a Jure ipso habeant.

184 Dicitur autem notanter; si clare ac indubitanter constat Crimen esse exceptum; quia certum est, in dubio, an Crimen exceptum sit, nec ne? non posse Rectores Ecclesie abique licentia Episcopi Reum tradere Curie seculari, eò quod in dubio ad solum Episcopum tanquam Iudicem legitimum pertinet, decernere, an Reus Ayslo gaudeat, nec ne? juxta dicenda infra n. 193. & seq. Neque Bulla concedit eis facultatem tradendi Reum in dubio, sed solum si iudicio suo crimen revera exceptum esse, indubitanter videtur. Hinc, quia raro contingit, quin in casu Criminis excepti cause dubitandi occurrant, & controversendi, regulariter & ordinariè loquendo, optimè faciunt Ecclesiarum Rectores, si ad Episcopum recurrant, praesertim illi, qui se mihi profundè doctos norunt, & rem pro merito cause discenter sufficienter non valent. Imò etiam illi, qui rem optimè intelligentes clare cognoscunt. Crimen esse exceptum, male non faciunt, sed securè agunt, si abique licentia Episcopi Reum non extrahunt; eò quod si non Jura & Bulla, saltem consuetudo passim vigens eisdem suffragetur juxta dicta n. 182. dummodo interea, donec responso ab Episcopo veniat, Reum caute custodiant, si fuerint requisiti, juxta dicta n. 174.

185 Dicitur hucusque sepe, si fuerint requisiti; quia tunc tantum, quando a Curia seculari fuerint requisiti, vult Papa, ut custodiant, vel tradant Reum Criminis excepti; consequenter a sensu contrario, si non requiruntur, nec custodire, nec extrahere tenentur talem Reum, sed possunt eum libere dimittere, & ad fugam juvare.

186 Queritur IV. An, quando, & quomodo Potestas secularis capere, aut extrahere possit Reum in loco Aysli existentem? Resp. I. Quando constat Reum nullum commisisse Crimen exceptum, nullo modo eum extrahere potest Curia secularis. Omnes. Patetque Concluf. ex dictis n. 160.

187 Resp. II. Etiam in casu, quo dubium est, imò quo certo constat Reum commisisse Crimen exceptum, non potest Curia secularis sine expressa licentia Episcopi, aut ejus Officialis (id est Vicarii Generalis arg. Clem. 2. de Rescript.) & cum intervernu persone Ecclesiastica ab eo auctoritatem habenti Reum (in solo Aysli) capere, aut extrahere. Ita clare statutum habetur in sepe citata Bulla Gregorij XIV. §. 4. ubi unica subiungitur limitatio, illis verbis: Nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dicte persone Ecclesiastica requisita illos in delictis Superioris expressis culpabiles tradere, aut captivum, & incarcerationi intervenire, & assistere recusarint, tuncque reverentia Ecclesie, & locis sacris debita memora, praedictos delinquentes, minori quo id fieri poterit, scandalis, & tumultu extrahere curent.

188 Resp. III. Quando in casu Criminis excepti Rei (causa per Episcopum nondum examinata) cum,

vel sine licentia Episcopi per Rectores Ecclesie traduntur, ac per Curiam secularem extrahuntur, non statim ad carceres seculares duci, multò minus puniri possunt, sed ab Ecclesiis, locisque sacris extracti, & capti ad carceres Curie Ecclesiasticae reponi, & ibi sub tuto, & firmo carcere, ac opportuna custodia, datà illis, si opus fuerit, per Curiam secularem detineri debeant, nec inde extrahi, Curiaeque seculari praedicta consignari, nec tradi possunt, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi verè Crimina Superioris expressa commiserint; tuncque demum de mandato Episcopi per Iudicem Ecclesiasticum Curie seculari, quocumque Appellatione postposita consignentur. Ita in terminis Bulla Gregoriana supra n. 82. allegata §. 5.

189 Ut autem in compendis habeatur, qualiter, & quomodo tam Rectores Ecclesiarum, quam Iudices seculares rite se habere possint ac debeant, in casu, quo dubitatur, aut constat, a confisgente ad locum Aysli fuisse commissum Crimen exceptum, breviter, & clare pro praxi hie per modum Corollarii subiungitur. Itaque quando Malefactor aliquis venit ad Ecclesiam, Monasterium, aut alium locum sacrum, de quo dubitatur, an gaudeat Ayslo nec ne; bene facit Rector loci sacri, si Reum de dubio, & periculo admoveat, eique fugam suadeat, & ad eam adjuvet, antequam a Curia seculari ad eum bene custodiendum, aut tradendum requiratur: tunc enim fuge locus non amplius est, sed Reum vel ipse custodire, vel Curie seculari custodiam admittere debet, ne elabatur, donec ab Episcopo causa examinetur, juxta dicta n. 174. & seq. Potestas verò secularis Reum in ipso loco sacro non statim capere, nec inibi eundem custodire, multò minus extrahere potest, juxta dicta n. 187. sed prius Rectorem Ecclesie requirere debet, ut Reum vel ipse tutissimè custodiat, aut si non possit, vel nolit, saltem permittat, quod ab ipsa Potestate seculari ejusdem nomine id fiat, juxta dicta n. 176. & seq. Requisitione hac facta, si Rector Ecclesie Reum sufficienter custodire sculet, vel negligat, poterit Potestas secularis eundem in ipso loco sacro, si opus fuerit custodire, donec causa ab Episcopo examinetur, ac determinetur, juxta dicta n. 17. Si verò Rector Ecclesie requisitus asscuerit, quod usque ad decisionem ab Episcopo faciendam impeteret Reum in Aysli loco sufficienter custodire velit, ut d. bet, si occasionem habet juxta dicta num. 74. Potestas secularis Reum in ipso loco sacro, nisi a Rectore viribus, & occasione desituro ad id imploreitur, custodire non potest, bene tamen Rector Ecclesie serio inculcare, ut Reum interea omnino caute custodiat, ne Reo elabente ab ipso Rectore coram Superiore legitimo ratio reddenda rigide exigatur.

190 Idem fermè observandum erit, quando sine dubio constat a Reo confisgentem ad Ecclesiam commissum esse delictum exceptum, praeterquam quod quamvis Rector Ecclesie, Criminis excepti indubitanter Reum recipere possit, tamen non tenetur, sed statim ab initio eum repellere, seu locum Aysli negare, eique dicere possit. Bone amice! quia Crimini excepti certo Reus apparet, vade vias tuas, & figa tibi consule, quia non gaudeo Ayslo, nec etiam tuus es in hoc loco: pari modo potest jam receptum, vel inscio Rectore ingressum iterum dimittere, ac etiam invitum alio dirigere valet. Potestas verò secularis eundem in loco sacro non tantum custodire, sed etiam, si male; inde eripere, seu extrahere potest, si Rector Ecclesie debite requisitus eundem nec sufficienter custodire, nec tradere velit, juxta dicta n. 177. & 187.

quod tamen non potest ante requisitionem, neque post illam, si ipse Reum sufficienter custodire, aut tradere paratus sit. Porro si Potestas secularis Rectore Ecclesie post requisitionem custodire, ac tradere recusante, Reum extrahit, non potest statim ad proprios carceres ducere, multo minus punire, sed debet eundem carceri Curie Ecclesiasticae committere, ibique, si opus fuerit, eundem custodire, donec causa ab Episcopo examinetur, ac decidatur, iuxta dicta n. 188.

191 Illud etiam observandum, quod quando confugiens ad locum *Ayli*, nullum Crimen exceptum commisit, item etiam quando dubium, vel certum est, eum commisisse Crimen exceptum, hoc tamen adhuc nondum publice constat, vel si constat, sed non sicut, eum esse in hoc *Ayli* loco, vel denique si Crimen exceptum esse commissum, & fugientem in certo *Ayli* loco existere constat quidem, Potestas tamen secularis eundem a Rectore non requirit, non tenetur hic Episcopum de casu informare: quamprimum vero dicta Potestas secularis Rectorem, ut supra n. 187. requirit, debet is illic Episcopum de casu circumstantione informare, ac interea observare, quae num. 189. & *Jeqq.* dicta sunt.

192 Episcopus autem certior factus debet causam debite examinare, & decidere, an Reus gaudeat *Aylo* nec ne? Etsi iudicaverit, eum non gaudere, debet eum cum *intervenit persona Ecclesiastica* ab eo auctoritatem habentis, Curiae seculari, ejulque liberae dispositioni tradere juxta Bullae §. 5. nulla facta petitione de non infligenda poena mortis, vel corporalis, nec protestatione contra eandem juxta dicta num. 181. Si vero iudicaverit eum gaudere, debet curare, & mandare, ut custodia, si quae est in loco sacro, amoveatur, vel Reus, si e loco sacro extractus, in carceribus Episcopalibus, aut alibi existit, iterum loco unde ereptus est, restituitur, juxta dicenda n. 206.

193 Queritur V. Quis sit Judex emergente dubio aut controversia in materia Immunitatis *Ayli*? & quomodo in casu procedere aut iudicare debeat? Ante responsum notandum, triplex posse oriri dubium ad praesens, videlicet I. De qualitate personae? H. An locus, ubi est, vel deliquit, sit sacer vel non? consequenter an gaudeat *Jure Ayli*? III. An Reus commiserit Crimen exceptum, nec ne? Resp. Ad solum Judicem Ecclesiasticum, Episcopum nempe spectat judicialiter cognoscere, & iudicare, num Reus gaudeat *Aylo*, nec ne, si dubium, vel controversia oritur ex qualitate personae, vel loci; Pignatell. *Tom. 9. Consult. 22. n. 30. Bonacina cit. Disp. 3. q. 7. §. 7. punc. 3. n. 16. Peregrinus de Immunit. cap. 13. n. 18. Barbosa de Offic. & potest. Episc. p. 2. Allegat. 12. n. 34. & lib. 2. l. E. N. cap. 3. nu. 154. & *Jeqq.* Covarruvias *Pract. 4. 33. n. 1.* cum communis aliorum contra nonnullos alios. Et quidem si controversia est de persona, patet ex c. *Si Judex. 12. de Sentent. Excommunicat. in 6. ibi: Dubitatis, an sit, qui reperitur, Clericus, ad Judicem Ecclesiasticum cognitio pertinet*: ubi etiam ratio additur; *quia de re spirituali, & Ecclesiastica est*. Si vero de loco, deducitur ex c. *2. de Judiciis*: siquidem *Juris Regula* universalis est, quod de causa spirituali & Ecclesiastica, eique annexa, siue principaliter, siue incidenter in iudicium deducatur, non nisi Judex Ecclesiasticus cognoscat, arg. c. *2. & 3. de Judiciis*, & c. *3. de Ordin. Cognit.* consequenter cum Immunitas sit causa Ecclesiastica, factentibus ut etiam Adversariis, de ea non nisi Judex Ecclesiasticus cognoscere poterit.*

194 Resp. denuo I. Si dubium & controversia est, an Crimen commissum sit de exceptis nec ne? Rursus

solum Episcopus judicialiter cognoscat ac determinat. Covarruvias in *Append. de Immunit. cap. 22. n. 367. & *Jeqq.** ubi pluribus citatis testatur de Comuni, & praxi recepta. Pignatell. ubi supra n. 28. ubi cum indignatione contra sententiam contrariam ait: *Castigare hic debet insignes neptias, & verè emoraturum mentium aberrationes multorum, qui dixerunt, ad Jussum secularium spectare interdum cognitionem, an delictum sit exceptum à Constitutione Gregoriana &c.* Gutierrez *lib. 3. pract. q. 1. num. 5.* ubi testatur de quotidiana praxi, Guaz. *Defens. cap. 31. num. 3. Barbosa lib. 2. l. E. V. cap. 3. n. 154. & *Jeqq.** cum Comuni aliorum. Idque probatur clare ex saepe citata Bulla Gregoriana, ubi §. 4. expressè dicitur, quod ad solos Episcopos, & non ad alios Episcopos inferiores &c. pertinet: item ibidem: *Occurrente vero casu in loco excepto: Nullius Diocesis, tunc ad Episcopum viciniam devolvitur haec cognitio.* Et §. 5. ubi statuitur, quod Curiae seculari Reus nec consignari, nec tradi possit, nisi cognitio prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipse verè Crimina superiora expressè commiserit. Ratio est, quae supra, videlicet, quia Immunitas est causa Ecclesiastica, utpote sui annexum spiritualibus, sacris nempe ac Religiosis locis, ob quorum honorem, venerationem, ac reverentiam est introducta, arg. l. *Præsent. C. de his, qui ad Eccles. confug. & can. Reum, can. Frater, can. Dissinvi. cau. 17. q. 4.* causae autem Ecclesiasticae cognitio non nisi Judici Ecclesiastico competit, *in c. 2. & 3. de Judiciis.* Accedit universalis locorum consuetudo & praxis (ut testatur Doctores citati) quae est optima Legum interpretis, c. *Can dilectus. 8. de Consuetud. & l. 37. ff. de L. g. b. contra.*

Nec obstat, si obijcias contra dictas Conclusiones, quomodo Judicem cognoscere posse, utrum sua sit jurisdiclio nec ne, l. *Si quis ex alieno. ff. de Judiciis*, ubi: *Prætoris est estimare an sua sit jurisdiclio*, consequenter etiam Judicem Laicum cognoscere posse, an locus v.g. sit Religiosus nec ne; consequenter an Reus gaudeat *Aylo*? ergo. Resp. enim Objectionem procedere ceteris paribus, quando nempe causa & materia est profana, Judicisque profani, qui utique cognoscere valent, ad quem ex eis jurisdiclio pertinet. Secus est, quando causa est Ecclesiastica, qualis est Immunitas *Ayli* per dicta supra. Dices, nemo potest esse Judex in propria causa; l. *Unica. C. Ne quis in sua causa*; atque causa Immunitatis censetur esse propria ipsius Judicis Ecclesiastici; ergo. Resp. concessa Major. negando Min. quia *palum est eam esse causam propriam, cuius emolumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet*, ut dicitur *can. Biduum. 20. §. Si quis, cau. 2. q. 6.* quod non verificatur in ipso Prelato Ecclesiastico, cum nec ad commodum ipsius promovendum, nec praedictum ejus evitandum, sed praecise ob reverentiam, & venerationem loci sacri sit introducta, ita ut personae Prelati Ecclesiastici nec feratur, nec metatur, si violatur, aut servatur Immunitas *Ayli*; consequenter, sicut in aliis causis Ecclesiasticis excludo Judicem seculari privative cognoscere potest, ita & in causa Immunitatis juxta Glossam communiter receptam, *can. Si quis erga. & Privetur. cau. 2. q. 7.* Alias Objectiones non pono, quia sententia contraria jam est deserta.

Porto Judicialis cognitio in dubio Immunitatis, casu ita privative pertinet ad solum Episcopum, & ejus Vicarium Generalem, ut non tantum excludatur omnis Judex & Praelatus Ecclesiasticus Episcopo inferior, idque non tam ex ratione, quam ex speciali dispositione Bullae Gregoriana, §. 4. & 5. cujus textum vide n. 194. Hinc licet prelatus Episcopo inferior possit Reos extrahere, vel repellere, quando

195

quando eas Crimen exceptum judicio suo commisisse clare videtur, juxta dicta n. 180. arg. §. 3. citatae Bullae Gregoriana, & *can. Ad Episcopos. 1. t. cau. 17. q. 4.* Id tamen non potest causâ existente dubia, ac controversâ, prout ex n. 194. citatis textibus communiter advertunt Doctores, quos vide apud Barbarum *lib. 2. l. E. V. cap. 3. n. 157.*

Limitant hoc aliqui in Vicario Capitali Sede vacante. Diana p. 6. tr. 1. *Resolut. 30. q. 1.* Peregrinus de Immunit. cap. 3. n. 33. & *Jeqq.* & alii, quorum sententiam, si Jus commune spectes, omnino probabilius apparet; ed quod Capitulum, ejusque Vicarius Capitalis Sede vacante exercere possit omnem Jurisdictionem Episcopalem tam in temporalibus, quam in spiritualibus, nisi specialiter prohibita reperitur, arg. c. *his, quae pro Ecclesia. 11. & c. Cum olim. 14. de Major. & Obediat.* Verum Barbosa *lo. cit. Marius Ital. de Immunit. lib. 1. cap. 61. a. n. 37. Sperellus Decis. 31. n. 8.* contrarium defendunt, assertique Sperellus pro hoc sententiam S. Congregationis Cardinalium in Conversana 15. Februarii 1663. ed quod Gregorius XIV. in sua Bulla hanc causae cognitionem specialiter expressè videatur, dicendo §. 4. *Quod requiratur expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, id est Vicarii Generalis, & ad hoc, & non ad alios pertinere: quae doctrina videtur Bullae Gregoriana conformior, & ob Decisionem Cardinalium merito tenenda.*

197 Dicitur est autem saepius cognitio Judicialis, quia extrajudicialiter, & pro capienda noticia ac specie facti, faciendaeque informatione convenienti, non tantum Episcopo inferiori Prelati, sed etiam Judices Laici cognoscere possunt, ut fatentur omnes, ed quod per hoc Immunitas nec in initio violatur, praesertim cum Episcopus non teneatur stare tali informationi, cognitioni, aut Processui extrajudiciali.

198 Imò est inferior Episcopo, vel Judex secularis ordinatum formaret Processum Judicialem, eumque Episcopo communicaret, nec teneretur, nec possit Episcopus eidem stare, sed debet nihilominus novum formare. Farinacius *lib. 1. Consult. 76. num. 1. & in Append. de Immunit. cap. 22. n. 373.* citans Ambros. *de Immunit. cap. 11. n. 2. & 7. Marius Ital. de Immunit. lib. 1. cap. 6. §. 1. n. 79.* Diana p. 6. tr. 1. *Resolut. 31. Consult. 2. n. 2. §. Dixi autem.* Cum enim in dubio casu fieri debeat vera Judicialis cognitio, per dicenda *num. seq.* haec autem ab alio quam Episcopo fieri nequeat, juxta Bullam Gregorianam, & facta non subsistat, arg. l. *fin. & Tot. Tit. C. Si a non competet. Judic.* consequens est, quod non obstante Processu ab aliis potestate carentibus fabricato Episcopus alium formare possit ac debeat. Ut proin Processus ad Prelatis Episcopo inferioribus, vel ad Judice seculari facti, ad nihil serviant, quam ad simpliciter informandum Episcopum, & ut sciant, an interea, donec causa decidatur, custodia, & carceratio Rei affirmenda, vel admittenda sit. Quod intellige in casu, quo à praefatis sit Processus, dum Reus actu jam est in loco *Ayli*: si enim antequam illic venit, Processus aliquis à legitimo Judice, siue Ecclesiastico Episcopo inferiore, siue à Laico facti, non super eo, an gaudeat Immunitate nec ne? sed de ipsa facti specie, eidem utpote legitime facti, & formato omnino stare, eoque pro decisione, an Reus gaudeat *Aylo* uti potest Episcopus, uti habes apud Dianam p. 9. tr. 1. *Resolut. 31. Consult. 2. §. Quam ob rem.* cui etiam favet Farinacius in *Append. Immunit. lo. cit. n. 375.* & alii, ed quod acta coram Judice seculari legitime facta etiam in Judicio Ecclesiastico probent, arg. c. *fin. de Exception. in 6.*

199 Resp. II. Ad hoc, ut Episcopus Reum ob Cri-

men exceptum possit Curiae seculari plene tradere, ejusdemque dispositioni, ac punitioi relinquere, debet ei prius juridicè, legitime ac plene per concludentes probationes constare, delictum exceptum ab eo fuisse commissum, ut proin non sufficiant indicia, praesumptiones, multo minus semiplena probatio. Farinacius *lib. 1. Consult. 76. a. n. 2. & Consult. 168. a. n. 8. & in Append. lo. cit. n. 374.* Ambrosio. *lo. cit. n. 4.* Marius Ital. *lo. cit. n. 8.* Pignatell. *Tom. 9. Consult. 22. n. 28.* Diana ubi supra §. *Vidisti amice Lector.* Haunoldus *Tom. 6. tr. 1. num. 268.* ubi pro Conclusionem illegat Declarationem Cardinalium; & communitissima aliorum, id probantium potissimè ex Bulla Gregorii XIV. §. 5. ubi ad tradendum praerquiritur, ut constet Episcopo, an verè commiserit delictum exceptum: nam ad hoc ut verè constet, debent adesse verae probationes, id est, per quas certò ac indubitatè constat, ut docet Innocentius in c. *Cum causa, de Juram. calumn.* Confirmatur I. Quia quando Lex probationem requirit, uti hic facit, ordinarie intelligenda est de probatione plena ac concludente, uti bene advertit Farinacius *cit. Consult. 76. n. 5. arg. l. Non omnes ff. de Re militar.* Confirmatur II. Praevia cognitio & probatio de Crimine ad tradendum Reum requiritur ut conditio, ibi: *Nisi cognitio prius; ergo necessario requiritur, arg. l. Lucius, & ibi Bart. ff. de Condit. ac demonst.* Accedit, quod Reus sit in possessione Immunitatis, à quâ quis non potest deici per conjecturas, aut praesumptiones, sed per probationes plenas, juxta vulgaria; ergo. Porro ut Episcopus debeat ac legitimam cognitionem acquirat, debet citare Ecclesiam, seu ejus Fidelem, atque ipsam Reum. Farinacius *cit. Consult. 168. n. 39. & *Jeqq.** ubi citat plures alios, & in *Append. lo. cit. n. 376.* Haunoldus *lo. cit. num. 271.* Et quidem de Fideali Ecclesiae res difficultate caret, & conveniunt DD. quia agitur de Ecclesiae praedictio, consequenter audienda erit, arg. l. *de Unoquoque ff. de Re jud. & l. Nam ita Divus ff. de Adopt. cum Concordantiis.* De Reo autem, quia de ejus quoque praedictio non infert indirectè agitur; licet enim Immunitas non ipsius Reus, sed locis sacris sit concessa, tamen in ipsis suum effectum consequitur, ita ut ipsi ratione Immunitatem habeant, & habere dicantur, arg. c. *Inter alia h. 1. & l. Praesenti C. de his, qui ad Eccles. Confug. & can. Frater. cau. 17. q. 4.* Caeterum quavis, uti dictum, requiratur plena, ac concludens probatio, tamen sufficit ad eam habendam, si Episcopus summario procedit, nec necessaria est Libelli oblatio, neque litis Contestatio, uti DD. citati bene observant.

Resp. III. In dubio, an delictum commissum sit 200 unum de exceptis nec ne? & universaliter in dubio ac in conflictu Doctorem, an Reus *Aylo* gaudeat, vel non? Episcopus pronuntiare debet pro Immunitate, seu quod Reus gaudeat Pignatell. *Tom. 9. Consult. 22. n. 8.* citans Turrecrem. in *can. Si quis in avio. 17. q. 4. Decian. Consult. 80. n. 22.* Diana p. 5. tr. 1. *Resolut. 23.* ac communissima aliorum. Ratio est: tum quia in dubio potius favendum est Reo, *Reg. 11. Jur. in 6.* Tum quia universaliter in dubio, ac conflictu opinionum semper illa eligenda, ac tenenda est, quae magis favet Ecclesiae, eique Immunitati, uti cum aliis citati docent DD. inter quos Diana p. 5. tr. 1. *Resolut. 23.* citans Antonium Soua in Bulla *Coenae cap. 14. Disp. 76. n. 5.* ait non esse attendendam opinionem communem (multo minus unius, vel alterius) si contraria opinio favet Ecclesiae. His adde Jalon. in l. *Filiusfamilias §. Divi. ff. de Legat. 1. n. 82.* ubi ait, in dubiis opinionibus consulendo & iudicando, eam esse tenendam, quae favet Ecclesiae. Ita etiam tenent Rota, quam *lo. cit.* allegat Diana, qui p. 6. tr. 1.

tr. 1. Resolut. 3. ad finem etiam subiungit: Adveriant Episcopi, quibus si tradant Reos Curie seculari in casu, quo debent gaudere Immunitate, praefer peccatum, & obligationem damnatorum, si Reus esset ad mortem damnatus, incurere integritatem.

Verum Conclusio num. praeced. posita, limitanda videtur in casu, quo controvertentibus Doctoribus opinio Immunitati contraria est, & apparet revera probabilior, ac Iuri conformior, uti docere videtur Pignatell. Tom. 1. Consult. 48. n. 6. Ratio est; quia Doctores communiter tantum dicunt in dubio, non item absolute in opinionibus eligendam esse opinionem faventem Ecclesiae; si tunc quando rationes & fundamenta opinionum inter se ita militent, ut nesciatur quae opinio revera sit probabilior, consequenter dubium existat positivum: non item, quando ex rationibus & fundamentis satis apparet, unam revera esse probabiliorem, Iurisque magis conformem; est altera adhuc probabilis apparet: tunc enim Episcopus probabilior eligere bene potest, est contraria sit Immunitati, eo quod tunc non amplius adfit dubium. Porro in casibus ad quos optatum erit, si emergente causa dubio consulatur Romana Sedes, uti supra jam notavimus, & etiam Pignatell. observat. lo. cit. n. 7. & alii.

201 Resp. IV. Quando Episcopus examinata causa certo cognoscit, Reum non gaudere Asyllo, debet eum tradere Curie seculari, etiam si Reus, vel Fiscalis Ecclesiae appellet. Communis ac certa ob clarum Bullae textum §. 5. ibi: Tunc de mandato Episcopi per Iudicem Ecclesiasticum Curiae seculari, quicumque appellatione proposita consistuntur. Accedit repetita Declaratio S. Congregationis apud Jacob. Pignatell. Tom. 2. Consult. 16. a num. 13.

202 Porro sicut denegatur Reo Appellatio, ita etiam denegatur Fisco, vel Actori, ac Potestari seculari. Diana p. 6. tr. 1. §. Quisid quero. citans Speller. Decis. 65. n. 2. & seqq. Peregrin. de Immunit. cap. 16. num. 23. contra Bonacinum Tom. 2. Disp. 3. q. 7. punc. 7. num. 11. Ratio est, ut in Iudicio servetur aequalitas: quae si servanda non esset, potius ad Rei, quam Actoris favorem deberet fieri; quia favorabiliores Rei potius, quam Actores habentur. L. Favorabiliores, 168. ff. de R. J. Accedant repetitae Declarationes Cardinalium, quas citat Diana lo. cit. ac etiam Jacob. Pignatell. lo. cit. num. 25. Appellatio per Constitutionem Gregorii XIV. de violatione Immunitatis Ecclesiasticae prohibita Reo à sententia de tradendo illum Curie seculari, etiam censetur denegato Fisco, vel Actori, si Episcopus pronuntiet, Reum Ecclesiae restituendum esse, S. Congregatio 6. Junii 1639. & 1644. & num. 17. Appellatio non datur à Declaratione Episcopi, an quis gaudere debeat Immunitate: in Nicens. 12. Januarii, 1639. Limitat tamen merito Diana hanc doctrinam in casu, quo sententia Episcopi esset notorie iniqua: quia clausula remota Appellatione nunquam prohibet Appellationem à sententia iniqua, prout cum aliis bene docet Scavia de Appellat. lib. 3. cap. 2. q. 16. limit. 1. n. 81. unde in tali casu tam Reo, quam Actori liceret appellare. Idem liceret Reo, si eo inaudito Episcopus decideret, eum non gaudere Immunitate, Diana ibid. citans Zypaeum lib. 3. Tit. de Immunit. Eccles. Concl. 3.

§. VIII.

De male extractorum, aut extraditorum Restitutione: ubi de abis poenis violentum Jus Asyli: & Absolutione ab iisdem.

SUMMARIUM.

- 203 Vi extractus absque licentia Episcopi debet iterum restitui.
- 204 Est notorie constet, Reum commississe Crimen exceptum.
- 205 Reus etiam licite extractus, iterum restitui debet, si pro eo iudicatus Episcopus.
- 206 Et quidem eadem Ecclesiae, vel loco, à quo fuit extractus.
- 207 Non sufficit eum restituere Episcopo, vel Vicario Generali.
- 208 Restitutio debet eadem Ecclesiae fieri publice.
- 209 Non sufficit exarceratio Rei.
- 210 Debet fieri restitutio honorum, & resarcitio damni.
- 211 Poena violentum Immunitatem enarrantur. Et nun. seqq.
- 212 Inter quas est Excommunicatio.
- 213 Lata sententia.
- 214 Violat Immunitatem, & poenis subiacet, quicumque sine licentia Episcopi aliquid excepti Criminis Reum capere, incarcerare, aut extrahere ausus fuerit.
- 215 Vel hoc facere tantum tentaverit, aut conatus fuerit.
- 216 Nec excusantur, quia Reus consentiat.
- 217 Etiam mandantes violent, & poenis subiacent.
- 218 Qui si violatores appellent.
- 219 Violatores ab Excommunicatione nemo praefer Papam absolvere potest. Et num. 223.
- 220 Qui commissionem absolventi non nisi Episcopis dat.
- 221 Absolutio dari non potest, & data non valet ante factam restitutionem.

Notandum prius, plures esse utroque Iure statutas poenas in violantes Immunitatem, inter quas, quia DD. communiter etiam numerant Extractionem, ideò de illa & ceteris poenis eodem Paragrapho hic agimus.

Queritur I. An, à quo, cui, & quomodo restituentus sit male extractus, aut extraditus? Resp. I. Vi extractus ab Ecclesia, aliove Asyllo loco, omnino restituendus est iterum loco sacro una cum omnibus bonis inde abstractis. Farinacius in Append. de Immunit. cap. 2. n. 48. & seqq. Anchoranus in c. Inter alia. h. t. n. 5. & ibi Fagnanus n. 10. Barbosa J. E. V. lib. 2. cap. 3. n. 52. Pignatell. Tom. 1. Consult. 172. Thufcus ff. Ecclesia conel. 10. n. 20. Pithing h. t. n. 51. cum communis, & certa aliorum, arg. can. Miror. 8. cau. 17. q. 4. ibi: Ecclesia igitur revoca, quae irreligiosissimus rapuisti, & can. Sicut antiquius. 6. ead. cau. & q. ubi excommunicari iubetur qui personam hominis vel bona eius (è loco Asyllo) subtraxerit, quousque emendet, & quod rapuerit reddat. Ratio desumitur ex illa universalis Regula, quòd spoliatus ante omnia sit restituendus arg. c. Item 6. & c. Conquerente. 7. de Restit. spoliat. Nec cessat, neque suspenditur restituendi obligatio, si Iudex secularis velit prestare iuramentum, ac sufficientem cautionem de non infligenda poena mortis, aut alià corporali. Farinacius lo.

lo. cit. Sylvester v. Immunitas. 3. n. 11. Abbas lo. cit. Covarruvias lib. 2. Variar. Resolut. cap. 20. n. 6. ob dictam rationem; quia Ecclesia spoliata, ante omnia est restituenda, eique ob injuriam illatam satisfactio praestanda, quae per solam actualem restitutionem si per Jura citata.

204 Procedit Conclusio, etiam si Iudex secularis se offerat ad probandum, delictum esse exceptum, imò est hoc re ipsa probet, vel notorie constet, Reum commississe delictum exceptum. Diana p. 1. tr. 1. Resolut. 14. Farinacius lo. cit. n. 51. citans Mariam Ital. de Immunit. lib. 1. cap. 6. §. 2. n. 23. & alios, idque hodie certum est Bulla Gregorii XIV. ubi §. 4. expressè prohibetur, ne quis etiam in casibus exceptis sine speciali licentia Episcopi extrahatur, & talis extractio irrita & inanis declaratur. §. 9. consequenter etiam in tali casu, restitui debet extractus ob dictam Iuris Regulam, nisi Rectores Ecclesiae prius requisiti, Crimini excepti Reum carcerare, aut tradere recusaverint; prout limitatur cit. §. 4. Hinc si causa deferat ad Episcopum, debet is ante omnia mandare restitutionem, nec potest esse contentus, si Iudex secularis dicat, volo restituere, si Reus examinatus causam judicaverit, Reum gaudere Asyllo: sed debet urgere restitutionem per Censuram denuntiationem, quia etiam per talis Rei extractionem absque licentia Episcopi factam Immunitas fuit violata, & Ecclesia spoliata, consequenter ante omnia restituenda; quod idem ex eadem ratione servare debet Metropolitanus, casu quo Iudex secularis ab Episcopo ad eum appellat; ita ut in causa Appellationis procedere non possit, minus Iudicem saecularem à Censuris absolvere, donec restitutio fuerit facta, uti bene observat Farinacius lo. cit. n. 51. quae omnia procedunt, si vi expulsi, si vi dolo, fraude, aut mendacis inducus ipsemet exeat, Farinacius ibidem n. 53. & 54. quia etiam in talibus casibus moraliter saltem, & quidem injuste censetur Reus extractus. Imò est Reus volens è loco sacro extrahatur. Farinacius ibid. n. 51. Pignatell. ut supra n. 8. eo quòd ipse privilegio locali renuntiare non possit per dicta, & declaravit etiam S. Congregatio apud Jacob. Pignatell. lo. cit. in una Cajacen. 20. Novemb. 1640. illis verbis: Sacra &c. respondit restituendum esse Vicario, ut faciat restituere Orationem eidem Ecclesiae, à qua fuit extractus, cum non potuerit per renuntiationem ipsius praedictare Ecclesiae.

205 Resp. II. Reus etiam licite extractus, aut extraditus, & in carcerem Episcopalem v. g. vel saecularem, donec causa ab Episcopo decidatur, post se restitui debet, quando causam per Episcopum examinatus Reus invenitur gaudere Asyllo Diana p. 4. tr. 1. Resolut. 34. in fine cum communi & certa aliorum. Ratio patet; quia in tali casu extractio, seu extractio fit semper cum tacita, vel expressa conditione, ut, si reus invenitur dignus Asyllo, iterum restituatur; consequenter purificata conditione restitui debet. Nec admittitur Iudicis Appellatio juxta dicta n. 202.

206 Resp. III. Quando reus vi, aut injusto timore, fraude, vel dolo per Iudicem commissio extractus, aut educitur, debet restitui eidem Ecclesiae, seu loco sacro, à quo factus extractus, aut injuste educus. Pignatell. ubi supra à n. 4. Diana p. 6. Resolut. 27. Barbosa lib. 2. J. E. V. cap. 3. n. 54. Archidia. & Turrecem. in can. Miror. cau. 17. q. 4. Ille quidem circa medium, hi verò in principio & fine, & alii contra Bonacinum Tom. 2. Disp. 3. q. 7. punc. 3. n. 14. Castro Palao p. 2. tr. 11. Disp. un. punc. 11. n. 13. Haunoldus Tom. 6. tr. 1. n. 252. arg. can. Reintegranda. 3. cau. 3. q. 1. Etique saepius declaratum à

S. Congregatione Immunitatis, ejus Declarationem unam allegat Barbosa lo. cit. in una Ferrarien. anno 1630. editam, plures Jacob. Pignatell. Tom. 6. Consult. 172. n. 5. unam in Salernitana editam 7. Maii 1630. duas n. 11. die 20. Julii & 14. Decembris 1655. editas. Imò n. 10. ait. ita passim rescibere S. Congregationem, ubi etiam duas alias Declarationes, unam in Neapolitana 21. Aprilis 1641. & alteram in Mediolanensi 28. Novemb. 1634. editas adducit dicentes, ad hoc, ut restitutio alteri Ecclesiae fieri possit, requiri dispensationem summi Pontificis, nec sufficere solum consensum partium, sic sonant: D. Secretarius juxta mentem, scilicet, ut mediante auctoritate Sanctissimi faciat invalidare restitutionem alteri Ecclesiae factam, cum non dependeat à consensu partium, sed ab auctoritate Sanctissimi. Item S. Congregatio &c. censuit, restitutionem extracti de Jure faciendam esse eidem Ecclesiae Civitatis Laudan. à qua fuit extractus, etiam si hodie moram trahat in Civitate Romana distante à loco factae extractionis. Possit tamen hoc casu Sanctissimum dispensare, ut restitutio fiat Ecclesiae Lateranensi, autem consensu Orationis, qui restitui debet. Ex quibus Declarationibus sanè certa redditur Conclusio nostra, & infirmatur non tantum opinio doctentium, absolute fieri posse restitutionem alteri loco sacro, sed etiam illorum, qui docent, id saltem consensu extracti fieri posse. Ratio est, quia restitutio faciendae est ipsi loco L. 1. §. Hoc interdictum. ff. de Vi, & vi armata. & c. Consultationibus. 10. junctâ Glossâ ibid. v. Possessorem d. Offici. Delegat. atque spoliatio facta est in hac & non in altera; ergo.

Nec juvat dicere cum adversariis, quòd Privilegium Immunitatis sit unicum omnibus Ecclesiis universim concessum, consequenter satisfieri siue huic, siue illi Ecclesiae restitutio extracti fiat. Nam contra est, quòd licet in aliquo sensu dici queat unicum, tamen uni independentem ab alio competat, unaque independentem ab alia offendatur, spoliatur ac violatur, consequenter etiam eidem restitutio fieri debet; alias enim sequeretur, quòd violata per pollutionem una Ecclesia satisfaceret, si alia quaecunque reconciliaretur: Item si laicalibus exactionibus contra Immunitatem v. g. 3000. florenorum laderetur, una Ecclesia, aut Monasterium v. g. Societatis, satisfaceret restituendo alteri Ecclesiae vel Monasterio v. g. S. Benedicti, quod nec Castro Palao, nec Haunoldus, nec alii concedunt, licet eorum ratio aequè hic militet; cum etiam privilegium Immunitatis reale sit quasi unicum, & omnibus locis sacris universaliter concessum.

207 Porro sicut non sufficit restitutio facta alteri Ecclesiae, ita multò minus sufficit facta Episcopo, vel ejus Vicario Generali, ut pergit lo. cit. Pignatell. n. 9. tum ob rationes, Jura, & Cardinalium Declarationes pro Conclusione allatas; tum quia Episcopus non est Dominus, sed tantum Procurator Ecclesiae, can. fin. cau. 12. q. 1. consequenter remittere non potest injuriam Ecclesiae factam, Glossa in can. Si is. 18. cau. 23. q. 4. v. Possumus.

Dices Ecclesia repraesentat Episcopum can. Scire debet. 7. cau. 7. q. 1. ergo restitutio illi facta censetur facta Ecclesiae. Resp. Canonem ibi loqui de Ecclesia, quatenus significat multitudinem seu Congregationem Fidelium, & non Ecclesiam materiam, consequenter nil ad propositum probare. Dein hoc argumentum nimium probare, videlicet, quòd laedens Ecclesiam etiam in temporalibus per iniquas exactiones contra Immunitatem factas satisfaceret per restitutionem factam soli Episcopo, quod tamen negant Adversarii.

208 Resp. IV. Restitutio extracti debet fieri publice, & solemniter ipsi Ecclesiae violatae per eos, qui extraxerunt. Jacob. Pignatell. lo. cit. n. 7. citans Peregrin.